



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

[Liber Primus.]

urn:nbn:de:hbz:466:1-12945

M. FAB. QUINTILIANI
IN
ORATORIAE INSTITUTIONIS
LIBROS XII.

Ad Marcellum Victorium proœmium.

ARGUMENTUM.

Proœmium quatuor continet: causas condendi operis, Marcello dicandi, Qualem oratorem instituat, Quo pacto uniuersum opus partiatur. Operis condendi causa: ut inter opiniones varias facilius esset electio quid potissimum sequendum. Causa copiosius etiam scribendi quam ab amicis eslagitatum erat, ut eos plenius sibi demereretur, ne alius solum vestigiis insistere videretur, si prioribus nihil adderet: ne duo libelli de rhetorica impoliti & manci diutius sub eius nomine circumferrentur. Causa Marcello dicandi: quia amicissimus: quia literarum amore flagrans: quia instituendo ejus filio plurimum profuturos putaverit. Oratorem instituit perfectissimum, eloquentissimum, omnibus disciplinis & virtutibus instructissimum: atque in philosophorum arrogantiam invehitur, ultimam hanc partem ab oratoribus separantium, & sibi vendicantium. Totum opus in duodecim libros partiatur: quorum primus elementa ante rhetoris officium continet: secundus rhetorices Progymnasmata: tertius, quartus, quintus, sextus, septimus, inventionem & dispositionem, cum orationis partibus: octavus, nonus, decimus, elocutionem. Undecimus, memoriam & pronuntiationem. Duodecimus, ultimam partem definitionis oratoris, id est mores ejus, virtutes & officia. Prima partes ad benevolentiam sunt comparatae, dum suam modestiam, & scribendi causas profert, Marcelloque opus dicat. Attentos reddit, oratorem instituendo, & pleniora omnia quam vetera promittendo. Divisio operis ad docilitatem pertinet.

POST impetratam studiis meis² quietem, quæ per viginti annos erudiendis juvenibus impenderam, cum à me quidam familiariter postularent, ut aliquid de ratione dicendi componere-

HAC præfatione causas quibus adductus sit, ut de Eloquentia scriberet, adducit. Deinde qualem Oratorem informer, ostendit: quem virum bonum in primis esse vult. Postmodum totum opus partiatur. Ad extremum præcepta Rhetorices nihil valere sine natura docet. Propositio præfationis simplicem explicationem habet petitionis, & excusationis causas.

Turn.

I Post impetratam, &c.] Literas Ro-

mæ docuisse Fabium, vel ex illo notissimo Martialis versu satis constat:

Quintiliane vage moderator summe juvene.

Eo igitur munere defunctum se, otium tandem post viginti annos nactum esse ait, quod tempus vacationi professorum postea legibus attributum fuit. *Camer.*

2 *Quietem.*] Professores artium cum iustum tempus professionis absolverant, iusta missione & vacatione donabantur, multisque honoribus ornabantur. *Turn.*

A

I Quæ

ponerem, diu sum equidem reluctatus: ¹ quod auctores utriusque linguæ clarissimos non ignorabam multa, quæ ad hoc opus pertinerent, diligentissime scripta, posteris reliquissè. Sed qua ego ex causâ faciliorem mihi veniam meâ deprecationis arbitrabar fore, hac accendebantur illi magis: quod inter diversas opiniones priorum, & quasdam etiam inter se contrarias, difficilis esset electio: ut mihi si non inveniendi nova, at certe judicandi de veteribus, injungere laborem non injuste viderentur. ² Quamvis autem non tam me vinceret præstandi quod exigebatur fiducia, quam negandi verecundia: latius se tamen aperiante materia, plus quam imponebatur oneris, sponte suscepi: ³ simul ut pleniori obsequio demererer amantissimos mei: simul ne vulgarem viam ingressus, alienis demum vestigiis insisterem. ⁴ Nam cæteri fere, qui artem orandi literis tradiderunt, ita sunt exorsi, quasi perfectis omni alio genere doctrinæ, ⁵ summam in eloquentia manum imponerent: ⁶ sive contemntes tanquam parva, quæ prius discimus studia: sive non ad suum pertinere officium opinati,

¹ *Quod auctores utriusque linguæ clariss.*] Quinam vero fuerint clarissimi illi utriusque linguæ rhetores, qui scire cupit, prologum tertii libri perlegat. Illic enim omnes, qui ad ætatem suam usque claruerunt, commemorat. *Raph. Reg.*

² *Quamvis autem.*] Captat benevolentiam à persona sua, dum de se modestissimè sentit: deinde ostendit, quare tam copiosè hac de re scripserit. *Turneb.*

³ *Simul.*] Addit causas cur fufius tractarit de arte dicendi. *Turneb.* *Simul ut plenior obs.*] *Simul* vim habet copulæ, ut hoc loco eleganter in oratione bis ponitur: qua quidem dictione significanter duo simul uno & eodem tempore fieri. *Virg. 2. Æneid. Ille simul manibus tendit divellere nodos: Clamores simul horrendos ad sidera tollit.* *Raph. Regius.*

⁴ *Nam cæteri.*] Reprehendit cæteros

artium scriptores, qui artem nimis breviter sunt complexi. *Turneb.*

⁵ *Summam manum, &c.*] *Summam manum imponere* significat, perficere, absolvere, consummare: ductum à pictoribus qui primum in tabella lineamenta rudia designant: deinde ultima expolitione & manus impositione perficiunt. *Idem.* Aldus legit *summam eloquentiæ manum.* Et id omnino præferendum. Posuit τὴν ἐλοκνεντιᾶς γιγνενδι κασὺ. Quasi inquit, reliquis ἐσκευαστοῖς vel studiorum partibus persalutatis & decursis à discipulo vel lectore suo, tum demum adhiberentur, ut ultimam eloquentiam eum docerent, & operi consummato hoc fastidium, hunc colophonem adderent. *Gronovius.*

⁶ *Sive contemntes.*] Causas jam addit, cur universalialia persecuti fuerint. *Turneb.*

nati, quando divisæ ¹ professionum vices essent; seu quod proximum vero, nullam ingenii sperantes gratiam, circa res etiamsi necessarias, procul tamen ab ostentatione positas: ut operum fastigia spectantur, latent fundamenta. ² Ego cum nihil existimem arti oratoriæ alienum, sine quo oratorem non posse fieri fatendum est: nec ad ullius rei summam, nisi præcedentibus initiis perveniri: ad minora illa, sed quæ si negligas, non sit majoribus locus, demittere me non recusabo: nec aliter quam si mihi tradatur educandus orator, studia ejus formare ab infantia incipiam. ³ Quod opus, Marcelle Victori, tibi dicamus: quem cum amicissimum nobis, tum eximio literarum amore flagrantem, non propter hæc modo (quanquam sunt magna) dignissimum hoc mutuæ inter nos charitatis pignore judicabamus; sed quod erudiendo ⁴ nato tuo, cujus prima ætas manifestum iter ⁵ ad ingenii lumen ostendit, non inutiles fore libri videbantur, quos ab ipsis discendi velut incunabulis, per omnes quæ modo aliquid oratori futuro conferant artes, ad summam ejus operis perducere destinabamus. Atque eo magis, quod duo jam sub nomine meo libri ferebantur artis rhetoriæ, neque editi à me, neque in hoc comparati. Namque alterum sermone per biduum habito, pueri, quibus id præstatur, exceperant: alterum pluribus sane diebus, quantum ⁶ notando consequi potuerant, interceptum; boni juvenes, sed nimium amantes mei,

teme-

¹ *Professionum vices.*] Exempli gratia, Grammaticæ, Rhetoriæ.

² *Ego cum, &c.*] Breviter aperit consilium suum, & quid sit dicturus in toto opere proponit: quod pertinet ad attentionem, referturque ad id, *ne alienis vestigiis insisterem.* Turneb.

³ *Quod opus, &c.*] Causas addit cur dicaverit opus Marcello. *Idem.*

⁴ *Nato tuo.*] *Getæ.* Et sane, non adducor, ut credam Quintilianum, latini sermonis observatorem severum, vo-

cem istam (quæ omnino Poëtarum est non Oratorum) usurpasse: nec sine auctoritate hoc effero: liquidem refert ita habere M. S. quod vidit Raph. Regius suis ad Quintil. problematis. *Pithæus.*

⁵ *Ad ingenii lumen.*] Eloquentiam. Cicero in Bruto: *Ut enim hominis decus ingenium, sic ingenii ipseus lumen est eloquentia.* *Camer.*

⁶ *Notando.*] Notare est compendioso scribendi genere excipere: quod dicitur & *notis scribere & excipere.* Turneb.

¹ temerario editionis honore vulgaverant. Quare in his quoque libris erunt eadem aliqua, multa mutata, plurima adjecta, omnia vero compositiora, & quam nos poterimus elaborata. Oratorem autem instituiamus illum perfectum, qui esse nisi vir bonus non potest. Ideoque non dicendi modo eximiam in eo facultatem, sed omnes animi virtutes exigimus. ² Neque enim hoc concesserim, rationem rectæ honestæque vitæ (ut quidam putaverunt) ad philosophos relegandam; cum vir ille vere civilis ³ & publicarum privatarumque rerum administrationi accommodatus, qui regere consiliis urbes, fundare legibus, emendare judiciis possit, non alius sit profectò quam orator. Quare tametsi me fateor usurum quibusdam quæ philosophorum libris continentur, tamen ea jure vereque contenderim esse operis nostri, proprieque ad artem oratoriam pertinere. ⁴ An si frequentissime de justitia, fortitudine, temperantia cæterisque similibus sit differendum, & adeo, ut vix ulla possit causa reperiri, in quam non aliqua quæstio ex his incidat, eaque omnia inventione atque elocutione sint explicanda, dubitabitur, ubicumque vis ingenii & copia dicendi postulatur, ibi partes oratoris esse præcipuas? ⁵ Fueruntque hæc, ⁶ ut Cicero apertissime colligit, quemadmodum juncta natura, sic officio quoque copulata, ut iidem sapientes atque eloquentes haberentur. ⁷ Scidit deinde se

studium,

¹ *Temerario editionis honore.*] Imitatur hunc locum Hieronymus lib. i. epist. 7. *Opusculorum meorum quia plurima evolverunt è nido, & temerario editionis honore vulgata sunt, nihil misi, ne eadem forsitan mitterem, quæ habes.* Gronovius.

² *Neque enim hoc concesserim.*] Addit Quintilianus catasecuen, quod scilicet orator philosophiam Ethicam propriam habet, quam tamen philosophi invaserunt. Turneb.

³ *Et publicarum.*] Epexegetis præcedentium. Idem.

⁴ *An si frequentissime.*] Loci communes, qui fere in unamquamque cau-

sam incidunt, ac de vitiis virtutibusque tractant, à philosophia morali petuntur. Idem.

⁵ *Fueruntque.*] Sapientes antiqui appellarunt, qui pronuntiandi & cogitandi rationem eximiamque dicendi vim habent. hujusmodi fuerunt septem sapientes Græcæ. Idem.

⁶ *Ut Cic. apertiss.*] Lib. 3. de Orat. Colligere autem est argumentis aliquid concludere & comprobare, id quod Græci, quos in hoc quoque imitamus, συλλογίζεω dicunt. Raph. Regius.

⁷ *Scidit.*] Tempore Socratis primum eloquentia à philosophia separata fuit. Nam

studium, atque inertia factum est, ut artes esse plures viderentur. ¹ Nam ut primum lingua esse cœpit in quæstu, institutumque eloquentiæ bonis male uti, curam morum, qui disertis habebantur, reliquerunt. Ea vero destituta infirmioribus ingeniis velut prædæ fuit. Inde quidam contempto bene dicendi labore, ad formandos animos statuendasque vitæ leges regressi, partem quidem potiorem, si dividi posset, retinuerunt: nomen tamen sibi insolentissimum arrogaverunt, ut soli sapientiæ studiosi vocarentur: quod neque summi imperatores, neque in consiliis rerum maximarum, ac totius administratione reipublicæ præclarissime versati, sibi unquam vendicare sunt ausi. Facere enim optima quam promittere maluerunt. Ac veterum quidem sapientiæ professorum multos & honesta præcepisse, & ut præceperunt, etiam vixisse facile concesserim: nostris vero temporibus sub hoc nomine maxima in plerisque vitia latuerunt. Non enim virtute ac studiis ut haberentur philosophi, laborabant, sed ² vultum & tristitiam, & dissentientem à cæteris habitum ³ pessimis moribus prætendebant. Nunc autem quæ velut propria philosophiæ asseruntur, passim tractamus omnes. ⁴ Quis enim non de justo, æquo,

Nam Socrates spreta & exagitata rhetorica, se totum ad philosophicas disputationes traduxit. *Turneb.*

¹ *Nam ut primum.*] Adjicit causas divisionis artium. Videtur autem Quintil. hæc referre ad Thrasy Machum Calchedonium & Gorgiam Leontinum: qui cum vanalem haberent rhetoricam, idcirco à Socrate exagitabantur, eaque causa fuit cur rhetoricam sperneret. *Idem.*

² *Vultum & tristitiam & dissentientem, &c.*] Vide Cicer. Tusc. Quæst. II. cap. Joh. Savaron. Comment. ad Sidon. Apollin. l. ix. epist. ix. pag. 557. Senec. de Vita beata cap. xx. Quintil. declamat. 268. & 283. Plin. lib. I. epistol. xxii. & lib. III. epist. xi. Agel-

lium lib. XIII. cap. VIII. & XXII. Lactant. lib. v. cap. II. Sarisb. Policrat. lib. VIII. cap. XXI.

³ *Pessimis moribus prætendebant.*] Videtur hæc scripsisse Fabius ejectis ex urbe Philosophis Domitiani edicto. Sulpicia. Plinius. *Pitb.* Sunt enim illis ipsis temporibus, Domitiano scilicet imperante, consulto Senatus, philosophi ejecti, atque urbe & Italia interdicti. Vide Agell. lib. xv. c. II. Mosell. p. 9. in Quintil.

⁴ *Quis enim non de justo, &c.*] Gebhard. Crepund. lib. I. cap. III. pag. 10. legit ac dispungit: *Quis enim non de justo, æquo ac bono modo? non & vir pessimus loquitur.* Vide Barthium Advers. l. XXXI. cap. v. pag. 1429.

¹ æquo, ac bono, modo non vir pessimus loquitur? Quis non etiam rusticorum aliqua de causis naturalibus quærit? Nam verborum proprietates ac differentia, omnibus qui sermonem curæ habent, debet esse communis. Sed ea & sciet optime & eloquetur orator: qui si fuisset aliquando perfectus, non à philosophorum scholis virtutis præcepta peterentur: nunc necesse est ad eos aliquando auctores recurrere, qui ² desertam, ut dixi, partem oratoriæ artis, ³ meliorem præsertim occupaverunt, & ⁴ veluti nostrum reposcere: non ut nos illorum utamur inventis, sed ut illos alienis usos esse doceamus. ⁵ Sit igitur orator vir talis, ⁶ qualis vere sapiens appellari possit: nec moribus modo perfectus (nam id mea quidem opinione, quanquam sint qui dissentiant, ⁷ satis non est) sed etiam scientia, & omni facultate dicendi: qualis adhuc fortasse nemo fuerit. ⁸ Sed non ideo minus nobis ad summam tendendum est, quod fecerunt plerique veterum: qui etsi nondum quenquam sapientem repertum putabant, ⁹ præcepta tamen sapientiæ tradiderunt. Nam est certe aliquid consummata eloquentia, neque ad eam pervenire natura humani ingenii prohibet: ¹⁰ quod si non contingat, altius tamen ibunt qui ad summa nitentur.

¹ *Æquo.*] Probat partitione, rusticis esse communem philosophiam. *Turneb.*

² *Desertam partem oratoriæ artis.*] Duo MSS. Palatini: *Qui deserta, ut dixi parte Oratoriæ artis, &c.* Quæ lectio arridet Gebhardo Crepund. lib. I. cap. III.

³ *Melior partem.*] Sic vocat curam ac rationem rectæ honestæque vitæ, quam retinuisse, relicta Oratoria vult Quintilianus philosophos. *Pareus.*

⁴ *Velut nostrum reposcere.*] Gebhardus Crepund. lib. I. cap. IV.

⁵ *Sit igitur.*] Conclusio est ex superioribus, qua oratoris descriptionem repetit, eamque ad ultimam speciem, id est, ideam revocat. *Turneb.*

⁶ *Qualis vere sapiens.*] Quem Horatius descripsit lib. I. epist. ad Mæcen.

versu 105. &c. *Ad summam sapiens uno minor est Jove, &c.*

⁷ *Satis non est.*] Si ita legetur, hoc intelligemus de Stoicis, qui genus quoddam exile dicendi sequebantur. Illi igitur ab Oratore, morum probitatem, cum illa dicendi subtilitate requirebant. *Turneb.*

⁸ *Sed non ideo.*] Prolepsis est, qua anticipat quod poterat objici: quam solvit exemplo veterum. *Idem.*

⁹ *Præcepta tamen sapient.*] Columell. lib. XII. Nam nec oratoria disciplina deseritur quia perfectus Orator nusquam repertus est: nec philosophia, quia nullus consummatæ sapientiæ est. *Pitheus.*

¹⁰ *Quod si.*] Argumentum est per fictionem, & à comparatione. *Turneb.*

nitentur, quam qui præsumpta desperatione quo velint evadendi, protinus circa ima substiterint. ¹ Quo magis impetranda erit venia, si ne minora quidem illa, verum operi quod instituimus, necessaria, præteribo. Nam liber primus ea quæ sunt ante officium rhetoris, continebit. Secundo, prima apud rhetorem elementa, & quæ de ipsa rhetoricæ substantia quærentur, tractabimus. Quinque deinceps inventioni (nam & huic dispositio subjungitur) quatuor elocutioni (in cujus partem memoria ac pronuntiatio veniunt) dabuntur. Unus accedet, in quo nobis orator ipse informandus est, ut qui mores ejus quæ in suscipiendis, discendis, agendis causis ratio, quod eloquentiæ genus, quis agendi debeat esse finis, quæ post finem studia, quantum nostra valebit infirmitas, differamus. His omnibus admiscebitur, ut quisque locus postulabit, ² dicendi ratio, quæ non eorum modò scientia, quibus solis quidam nomen artis dederunt, studiosos instruat, & (ut sic dixerim) jus ipsum rhetorices interpretetur, sed alere facundiam, vires augere eloquentiæ possit. ³ Nam plerunque nudæ illæ artes, nimia subtilitatis affectatione frangunt atque concidunt quicquid est in oratione generosius, & omnem succum ingenii bibunt, & ossa detegunt: quæ ut esse, & adstringi nervis suis debent, sic corpore operienda sunt. Ideoque nos non particulam illam, sicut plerique sed quicquid utile ad instituendum oratorem putabamus, in hos duodecim libros contulimus, breviter omnia demonstrando. Nam si quantum de quaque re dici potest, prosequamur, finis operis non reperietur. ⁴ Illud tamen in primis testandum est, nihil præcepta atque artes valere, nisi adjuvante natura. Quapropter ei cui deerit ingenium non magis hæc scripta sunt, quàm de

agro-

¹ Quo magis.] Transitus est ad sequentia. Idem.

² Dicendi.] Docendi. Pith.

³ Nam plerumque.] Insectatur illos qui de arte rhetorica jejunè scripserunt. Turn. Nam pler. nullæ illæ artes.]

Artes interdum dicuntur libri, in quibus breviter citrà omnem rationis ornatum præcepta alicujus disciplinæ traduntur. Raph. Regius.

⁴ Illud tamen.] Ad extremum addit commonitionem.

agrorum cultu sterilibus terris. Sunt & alia ingenita quidem adjuncta, vox, latus patiens laboris, valetudo, constantia, decor: quæ si modica obtigerunt, possunt ratione ampliari: sed nonnunquam ita defunt, ut bona etiam ingenii studiique corrumpant: sicut & hæc ipsa sine doctore perito, studio pertinaci, scribendi, legendi, dicendi multa & continua exercitatione, per se nihil profunt.

C A P. I.

Quid circa primam pueri institutionem providendum sit: & quemadmodum prima elementa tradenda sunt: Et quam spem de filio recens nato capere debeat pater, & à quali nutrice, & inter quos collactaneos educandum curet. Tum quales Præceptores ac Pædagogi esse debeant; & à quo sermone, & qua ætate auspicandum sit.

IGITUR nato filio, pater spem de illo primum quam optimam capiat. ita diligentior à principiis fiet. ² Falsa enim est querela, paucissimis hominibus vim percipiendi quæ tradantur, esse concessam, plerosque vero laborem ac tempora tarditate ingenii perdere. Nam contra plures reperias & faciles in excogitando, & ad discendum promptos. ³ quippe id est homini naturale: ac sicut aves ad volatum, equi ad cursum, ad sævitiam feræ gignuntur: ita nobis propria est mentis ⁴ agitatio atque solertia: ⁵ unde origo animi cœlestis creditur. ⁶ Hebetes vero & indociles non magis

¹ *Gitur.*] Institutionem Oratoris à prima statim educatione auspicatur, atque hic sequitur Platonem, Chrysippum, & Catonem Censorium. *Turnebus.*

² *Falsa.*] Prolepsis est, qua opinionem quorundam refutat. *Idem.*

³ *Quippe.*] Confirmatio est, quæ petitur à proprio, quam expolit similitudine. *Idem.* Omnium non modo animalium, sed rerum propria quædam natura est. Urit ignis, candet nix. Sua

est equis, bobus, feris omnibus natura. Ita hominis rationis usus proprius est, unde sermo existit. *Camerar.*

⁴ *Agitatio atque solertia.*] Acumen ingenii percipiendique facilitas *solertia* dicitur, quam Aristot. ἀγχινοῦσα vocat. *Raph. Reg.*

⁵ *Origo animi.*] Vide Ciceronem prima Tusculana, qui ex motu mentis divinitatem probat. *Turneb.*

⁶ *Hebetes.*] Refutat aliam partem quadam similitudine. *Idem.*

magis secundum naturam hominis eduntur, quàm prodigiosa corpora, & ¹ monstris insignia: ² sed hi pauci admodum fuerit ³ argumentum, quòd in pueris elucet spes plurimorum: quæ cùm emoritur ætate, manifestum est non naturam defecisse, sed curam. Præstat tamen ingenio alius alium: concedo: sed ut plus efficiat, aut minus: nemo tamen reperitur, qui sit studio nihil consecutus. Hoc qui perviderit, protinus ut erit parens factus, acrem quam maximè curam spei futuri oratoris impendat. Ante omnia ne sit vitiosus sermo nutricibus: quas, si fieri posset, sapientes Chrysippus optavit: certè, quantum res pateretur, optimas eligi voluit. Et morum quidem in his haud dubiè prior ratio est: rectè tamen etiam loquantur. Has primum audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur. Et ⁴ natura tenacissimi fumus eorum quæ rudibus annis percipimus: ut sapor quo nova imbuas, durat: nec lanarum colores quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt. Et hæc ipsa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora sunt. Nam bona faciliè mutantur in pejus: nunc quando in bonum verteris vitia? ⁵ Non assuescat ergo, ne dum infans quidem est, sermoni qui dediscendus sit. In parentibus verò quamplurimum esse eruditionis optaverim. Verum nec de patribus tantum loquor. nam ⁶ Gracchorum eloquentiæ multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cujus doctissimus sermo in posteros quoque est epistolis traditus: & Lælii filia reddidisse

¹ *Monstris insignia.*] *Insignis* appellatur inusitato naturæ dehonestamento notabilis: uti animadvertit Jan. Gebhardus Crepund. lib. 1. cap. 5. pag. 13. Curt. lib. 9. *Si quos insignes, aut aliqua membrorum parte inutiles notaverunt, necari jubent.* Videantur etiam Andr. Schotti notæ in Senecæ Suasor. 7. pag. 34.

² *Sed hi pauci, &c.*] Steph. & alii leg. *Sed hi pauci admodum fuerunt.*

³ *Argumentum.*] Probat à signo.

⁴ *Natura tenacissimi fumus eorum, &c.*] Hunc locum explicat Cælius Rhodig.

antiqu. lect. lib. 10. cap. 15. pag. 456. &c.

⁵ *Non assuescat.*] Conclusio est hujus partis, in qua tractat de nutricibus. *Turcibus.*

⁶ *Gracchorum.*] Probat eloquentiam matris multum conferre ad Oratorem. *Idem.* Tiberii scilicet de quo in claris Oratoribus: sic M. Tullius: *ac utinam in Tiberio Graccho talis mens ad rem bene gerendam fuisset, quale ingenium ad bene dicendum fuit, profecto nemo huic viro gloria præstitisset.*

disse in loquendo paternam eloquentiam dicitur: & ¹ Quinti Hortensii filiae ² oratio apud ³ triumviros habita, legitur non tantum in sexus honorem. Nec tamen ii quibus discere ipsis non contigit, minorem curam docendi liberos habeant: sed sint propter hoc ipsum ad cætera magis diligentes. De pueris inter quos educabitur ille huic spei destinatus, idem II. quod de nutricibus dictum sit. De pædagogis hoc amplius, ut aut ⁴ sint eruditi plane, quam primam esse curam velim: aut se non esse eruditos sciant. nihil enim pejus est iis qui paulum aliquid ultra primas literas progressi, ⁵ falsam sibi scientiæ persuasionem ⁶ induerunt. Nam & cedere præcipiendi ⁷ peritis indignantur, & velut jure quodam potestatis, quo ferè hoc hominum genus ⁸ intumescit, imperiosi atque interim sævientes, stultitiam suam perdocent. Nec minus error eorum nocet moribus. ⁹ Siquidem Leonides Alexandri pædagogus, ut à Babylonio Diogene traditur, quibusdam eum ¹⁰ vitiis imbuat, quæ robustum quoque & jam maximum regem ab illa institutione puerili sunt

¹ *Q. Hortensii.*] Hortensius omnium Oratorum suæ ætatis, nisi M. Tullio, clarior fuit judicatus ab Agellio lib. 1. *Quem* Cic. in Bruto, *socium & consortem gloriosi laboris* appellat.

² *Oratio apud.*] Vide Valerium lib. 8. cap. 3. Cic. in Bruto. *Turneb.*

³ *Triumviros.*] Nempe Cæsarem Octavianum, Antonium, Lepidum. *Camerar.*

⁴ *Sint eruditi.*] Ne scil. cæcus cæcum ducat. Vid. Melch. Junii quæst. polit. 45. lib. 2. pag. 89. &c. Plurarchi aureus libellus, *ἡ παιδων ἀγωγὴ.*

⁵ *Falsam sibi scientiæ pers.*] Multi enim ad solidam eruditionem pervenissent, nisi jam se pervenisse putarent. Vide Plin. lib. 8. epist. 21. Fabius infra lib. 2. cap. 2. *Vana de se persuasio, &c.* idem c. 4

⁶ *Induerunt.*] Non imbuerunt. *Induere* autem *sibi persuasionem scientiæ*, est sibi

persuadere multa scire atque intelligere.

⁷ *Peritis.*] *Partib.* Pitheus.

⁸ *Intumescit.*] Claudio Cæsari hujusmodi Pædagogus datus est, quem *superjumentarium & barbarum* appellare solebat. *Turneb.*

⁹ *Siquidem.*] Probat paradiamate, pædagogos nocere moribus. *Idem. Siquidem Leonides.*] Leonidem Alexandri fuisse pædagogum, ex Plinio notum est: cui ille Asia potitus, onustam thure navem miserat. Fuisse Olympiadis propinquus traditur: seque non pædagogum, sed ducem Alexandri voluisse dici. *Diogenes* autem cujus hoc loco mentio fit, Babylonius, Stoicus fuit Philosophus, qui in illa celebri legatione Romam venit cum Carneade & Critolao. *Camerar.*

¹⁰ *Vitiis.*] Beda ab eo depravatos fuisse mores Alexandri & incessum prodit. *Turneb.*

sunt profecuta. ¹ Si cui multa videor exigere, cogitet oratorem institui, rem arduam: etiam cum ei formando nihil defuerit, præterea plura ac difficiliora superesse. Nam & studio perpetuo, & præstantissimis præceptoribus, & pluribus disciplinis opus est. Quapropter præcipienda sunt optima: ² quæ si quis gravabitur, non rationi defuerit, sed homini. Si tamen non continget quales maximè velim, habere nutrices, pueros, pædagogos: ³ at unus certè sit assiduus dicendi non imperitus: qui si qua erunt ab his præfente alumno dicta vitiose, corrigat protinus, nec insidere illi sinat: dum tamen intelligatur, id quod prius dixi, bonum esse: hoc, remedium. ⁴ A sermone Græco puerum incipere malo: quia Latinus, qui pluribus in usu est, vel nobis nolentibus se perhibet: simul quia disciplinis quoque Græcis prius instituendus est, unde & nostræ fluxerunt. Non tamen hoc adeò superstitiose velim fieri, ut diu tantum loquatur Græcè aut discat, sicut plerisque moris est. hinc enim accidunt & oris plurima vitia in peregrinum sonum corrupti, & sermonis, cui cum Græcæ figuræ assidua consuetudine hæserint, in diversa quoque loquendi ratione pertinacissimè durant. Non longe itaque Latina subsequi debent, & citò pariter ire. Ita fiet, ut quum æquali cura linguam utranque tueri cœperimus, neutra alteri officiat.

Qui-

¹ *Si cui.*] Prolepsis, quam solvit à rei magnitudine. *Idem.*

² *Quæ si quis, &c.*] Hoc est modis omnibus præcipienda sunt optima: quibus si quis uti non voluerit, non possit prætere veræ rationis, demonstratæ videlicet, ignorationem, sed ipsius fuerit negligentia: ut sit defuerit. Sic & Plin. locutus 3. epist. libro. *Cameray.*

³ *At unus certe.*] Intelligit vel amicum quendam parentis, qui assidue adhæreat lateri pueri: aut etiam libertum, qui assidue comitetur. *Turneb.*

⁴ *A sermone Græco.*] Antiquitus Romani lingua Hetrusca imbuebantur, ut

refert Livius: Ciceronis tamen ætate statim lingua Græca antequam Latina erudiebantur. quod ideo fiebat, quia cum lingua Latina vernacula esset, à Romanis nullo negotio discebatur. Hoc etiam præceptum nostra ætate observandum putat Erasmus. Tranquillus in lib. de claris Grammaticis tradit Ciceronem usque ad præturam Græce declamasse. *Idem.* Vide Franc. Floridi sententiam lection. subcisiv. lib. 1. p. 996. &c. & lib. 2. cap. 1. pag. 1089. Consule etiam eruditissimum Casaubonum ad Persii Satyr. p. 112.

I Qui-

¹ Quidam literis instituendos, qui ² minores septem annis essent, non putaverunt, quod illa prima ætas & intellectum disciplinarum capere, & laborem pati non possit. In qua sententia Hesiodum esse plurimi tradunt, qui ³ ante Grammaticum ⁴ Aristophanem fuerunt. nam is primus ⁵ Ἰσοθίνος, in quo libro scriptum hoc invenitur, negavit esse hujus poëtæ. Sed alii quoque auctores, inter quos Eratosthenes, idem præceperunt. Melius autem, qui nullum tempus vacare cura volunt, ut ⁶ Chrysippus. nam is quamvis nutricibus triennium dederit, tamen ab illis quoque jam informandam quam optimis institutis mentem infantium judicat. ⁷ Cur autem non pertineat ad literas ætas, quæ ad mores jam pertinet? Neque ignoro, toto illo de quo loquor tempore vix tantum effici, quantum conferre unus postea possit annus: sed tamen mihi, qui hoc senserunt, videntur non tam discentibus in hac parte, quàm docentibus pepercisse. Quid melius alioqui facient, ex quo loqui poterunt? Faciant enim aliquid necesse est. Aut cur hoc, quantumcumque est, usque ad septem annos lucrum fastidiamus? Nam certè quamlibet parum sit quod contulerit ætas prior, majora tamen aliqua discet puer eo ipso anno, quo minora didicisset. Hoc per singulos annos prorogatum, ⁸ in sum-

mam

¹ Quidam literis instituendos.] Duo Mss. instruendos. Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 5. p. 16.

² Minores septem annis.] Adi Melchioris Junii Polit. 11. quæst. 12. p. 68. &c. Salmasium adversus Cercoëtium, pag. 256. &c. Heresbachium de institutione Principis cap. 4. Platonem lib. 2. 3. & 8. de Republ. Paulum Medicum lib. 1. rei medicæ.

³ Ante Grammaticum.] Nam Aristophanes Byzantius Grammaticus negavit hypothecas ab Hesiodo compositas, cum antea & Isocrates & Aristoteles Hesiodi esse putassent. Turneb.

⁴ Aristophanem.] Quis & qualis fuerit, vide Suidam.

⁵ Ἰσοθίνος.] Præceperat, ut apud

Herodot. ἐπὶ τῆς τοῦ Κρατοῦς ἰσοθίνου, faciebat quæ Cræsus suaserat seu subjecerat. Camerar. Sic inscribitur opus illud Hesiodi, quod in eo præcepta quædam ad bene vivendum accommodata tradantur. Reph. Reg. Vid. Arist. Pol. 7. 17.

⁶ Chrysippus.] Qui præcepta scripsit de educatione liberorum, sicut paulo post Fabius citat. Camerar.

⁷ Cur autem.] Paulus tamen Æginaeta pueros putat indulgenter & hilariter nutriendos, ac lusu permittendos, nec ante sextum aut septimum annum litteratoribus tradendos. Turneb.

⁸ In summam proficit.] Hoc est, summa ac fini & perfectioni confert. Summa enim dicitur cumulus ac finis uniuscujusque rei. Reph. Reg.

mam proficit: & quantum in infantia præsumptum est temporis, adolescentiæ acquiritur. Idem etiam de sequentibus annis præceptum sit: ne quod cuique discendum est, serò discere incipiat. ¹ Non ergo perdamus primum statim tempus: atque eo minus, quòd initia literarum sola memoria constant: quæ non modò jam est in parvis, sed tum etiam tenacissima est. ² Nec sum adeò ætatum imprudens, ut instandum teneris protinus acerbè putem, exigendamque plenam operam. Nam id in primis cavere oportebit, ³ ne studia qui amare nondum potest, oderit, & amaritudinem semel ⁴ præceptam, etiam ultra rudes annos reformidet. ⁵ Lusus hic sit: ⁶ & rogetur, & laudetur: & ⁷ nonnunquam scisse se gaudeat. aliquando ipso nolente doceatur alius, cui invideat. contendat interim, & sæpius vincere se ⁸ putet. ⁹ præmiis etiam, quæ capit illa ætas, evocetur. Parva docemus, instituendum oratorem professi: sed est sua etiam studiis infantia: & ut corporum mox etiam fortissimorum educatio à lacte cunisque initium ducit: ita futurus eloquentissimus edidit aliquando vagitum, & ¹⁰ loqui primum

1 Non ergo.] Conclusio est hujus partis. Turneb.

2 Nec sum.] Prolepsis est. Idem. Infantia enim per lusum docenda.

3 Ne studia qui amare nondum potest, oderit.] Plutarch. *Ἐπι παιδῶν ἀγωγῆς*. Melchior Junius Polit. quaest. 45. p. 90. &c. Part. 11.

4 Præceptam.] Alii leg. perceptam.

5 Lusus hic.] Paulus quoque Ægina præcipit ut committantur pueri præceptoribus humanis, apud quos primis literis instituuntur hilariter. nam hilaritas animi & ad ingenii vigorem & corporis augmentum conducit. Turneb.

6 Et rogetur.] Non rogetur ut Valla habet: Rogetur, ergo, id est, blande moneatur: unde Horat. *ut crustula blandi dant pueris elementa velint ut discere prima*. Vel rogetur, id est, interrogetur à magistro & si bene responderit, laudetur, & gaudeat. Ascensius.

7 Nonnunquam scisse se gaudeat.] Vide Gebhard. Crepund. lib. I. cap. 7. *Et nonnunquam scisse se gaudeat.* Nihil mutandum. Videtur enim Fabius expressisse sensu paulum immutato verba Ciceronis in quinto de finibus: *Videmur ne, ut pueri ne verberibus quidem à contemplandis rebus perquirendisque deterreantur, ut pulsi requirant, & aliquid scire se gaudeant.* Gronovius.

8 Putet.] Alii putes. alii cupit. Passer.

9 Præmiis etiam, &c.] Præceptorum mos semper fuit pueritiam invitare muneribus. aut crustulis, & sic quasi lactare. Huc pertinet illud Horatii Sermon. l. 1. Sat. 1. *¶l. 26. pueris olim crustula blandè Doctores elementa velint, ut discere prima*. Idem.

10 Loqui primum incerta voce.] Miuutius Fœlix, eos dimidiata verba tentare dixit. Persius. *verba conari*. Vide Casaubon. ad Pers. p. 23. 24.

primùm incerta voce tentavit, & hæsit circa formas literarum. Nec si quid discere satis non est, ideo necesse non est. Quòd si nemo reprehendit patrem qui hæc non negligenda in suo filio putet, cur improbetur, si quis ea quæ domi suæ recte faceret, in publicum promit? Atque eò magis, quòd minora etiam facilius minores percipiunt: & ut corpora ad quosdam membrorum flexus formari nisi tenera non possunt, sic animos quoque ad pleraque duriores robur ipsum facit. An ¹ Philippus Macedonum rex Alexandro filio suo prima literarum elementa tradi ab Aristotele summo ejus ætatis philosopho voluisset, aut ille suscepisset hoc officium, si non studiorum ² initia à perfectissimo quoque tractari, pertinere ad summam credidisset? Fingamus igitur Alexandrum dari nobis impositum gremio, dignum tanta cura infantem (quanquam suus cuique dignus est) pudeatne me in ipsis statim elementis etiam brevia docendi monstrare compendia? Neque enim mihi illud saltem placet, quod fieri in plurimis video, ut literarum nomina & contextum prius quàm formas parvuli discant. Obstat hoc agnitioni earum, non intendentibus mox animum ³ ad ipsos ductus, dum ⁴ antecedentem memoriam sequuntur. Quæ causa est præcipientibus, ut etiam cum satis affixisse eas pueris recto illo quo primum scribi solent contextu videntur, retroagant rursus, & varia permutatione perturbent, donec literas, qui instituuntur, facie norint, non ordine. ⁵ Quapropter optimè, sicut hominum, pariter & habitus & nomina edocebuntur. Sed quod in literis obest, in syllabis non nocebit. Non excludo

autem,

¹ *Philippus.*] Habes epistolam Philippi ad Arist. apud Gellium lib. 9. c. 3. Turneb.

² *Initia à perfectissimo.*] In vetustis codicibus ita hic locus scribitur, *Si non studiorum initia & à perfectissimo quoque tractari, & pertinere, &c.* Idem.

³ *Ad ipsos ductus.*] Formas ac figuras, & ut ita dicam tractus literarum.

ductus vocat à ducendo, quod calami in literis scribendis ducantur. *Raph. Reg.*

⁴ *Antecedentem.*] Nam ordinem literarum memoria tenent, ac quæ literæ alias sequantur: idcircoque ad formas non animadvertunt, sed quasi memoriter pronunciant. *Turneb.*

⁵ *Quapropter.*] Conclusio est, quæ similitudinem habet admixtam. *Idem.*

autem, id quod est notum, irritandæ ad discendum infantia gratia, eburneas etiam literarum formas in lufum offerre; vel si quid aliud, quo magis illa ætas gaudeat, inveniri potest, quod tractare, intueri, nominare, jucundum fit. ¹ Cum verò jam ductus sequi cœperit, non inutile erit eas tabellæ quamoptimè insculpi, ut per illos velut fulcos ducatur stylus. Nam neque errabit quemadmodum in ceris (continebitur enim utrinque marginibus) ² neque extra præscriptum poterit egredi: & celerius ac sapius ³ sequendo certa vestigia, firmabit articulos: neque egebit adjutorio manus suam manu superimposita regentis. Non est aliena res, quæ ferè ab honestis negligi solet, cura bene ac velociter scribendi. ⁴ Nam cum sit in studiis præcipuum, quoque solo verus ille profectus, & altis radicibus nixus paretur, scribere: tardior stylus cogitationem moratur, rudis & confusus intellectu caret: unde sequitur alter dictandi quæ ex his transferenda sunt, labor, Quare cum semper & ubique, tum præcipuè in epistolis secretis & familiaribus delectabit ne hoc quidem neglectum reliquisse. ⁵ Syllabis nullum compendium est: perdiscendæ omnes: nec, ut fit plerumque, difficillima quæque earum differenda: ut in ⁶ omnibus scribendis deprehendantur. Quinimo ne primæ quidem memoriæ temerè credendum: repetere, & diu inculcare,

¹ *Cum vero.*] Suadet Quintilianus ut literæ primum simplices, dehinc syllabæ, postea dictiones, postremo versus quoque in tabella vel lignea vel eburnea incidantur. sic enim puer & scribere discet, nec manus illius à recta linea evariabit, nec ab harmonia, literarum proportionem. *Idem.*

² *Neque extra, &c.*] *Neque extra præceptum poterit egredi, & celerius ac sapius sequendo certa vestigia firmabit articulos neque egebit adjutorio manus suam superimpositæ regentis.* Sic illa emendavit Salmastius de modo usurarum. p. 464.

³ *Sequendo certa.*] Alias, *sequendo certa vestigia formabit articulos.* Philand. *Cer-*

ta vestigia.] Gebhard. *Crepund.* lib. 1. cap. 7. *causa vestigia.* At Barthius adverb. l. 31. c. 5. vulgatam defendit.

⁴ *Nam cum sit.*] Probat utilitatem velocis scripturæ ab incommodo contrariæ. *Turneb.*

⁵ *Syllabis.*] Syllabarum tractatio à grammaticis nostri temporis est omissa, ab antiquis vero diligenter tradita, ut pueri scirent quæ sit certa literarum inter se connexio, & quæ literæ cum quibus conjungi possint. quæ res conducit ad emendatam scripturam & locutionem. *Idem.*

⁶ *Omnibus.*] *Nominibus.* Pith.

¹ *Illud*

culcare, fuerit utilius: & in lectione quoque non properare ad continuandam eam vel accelerandam; nisi cum inoffensa atque indubitata literarum inter se conjunctio suppeditare sine ulla cogitandi saltem mora poterit: tunc ipsis syllabis verba complecti, & his sermonem connectere incipiat. Incredible est quantum morę lectionis festinatione adjiciatur. Hinc enim accidit dubitatio, intermissio, repetitio, plus quam possunt audentibus: deinde cum errarunt, etiam iis quę jam sciunt, diffidentibus. Certa sit ergo in primis lectio, deinde conjuncta, & diu lentior, donec exercitatione contingat emendata velocitas. Nam prospicere in dextrum (quod omnes præcipiunt) & providere, non rationis modo, sed usus quoque est: quoniam sequentia intuenti, priora dicenda sunt, &, quod difficillimum est, dividenda intentio animi, ut aliud voce, aliud oculis agatur. ¹ Illud non pœnitebit curasse, cum scribere nomina puer (quemadmodum moris est) cœperit, ne hanc operam in vocabulis vulgaribus & forte occurrentibus perdat. ² Protinus enim potest interpretationem linguę secretioris, quas Græci ³ γλώσσας vocant, dum aliud agitur, ediscere, & inter prima elementa consequi rem postea proprium tempus desideraturam. Et quoniam adhuc circa res tenues moramur: ii quoque versus qui ad imitationem scribendi proponuntur, non ociosas velim sententias habeant, sed honestum aliquid monentes. ⁴ Prosequitur hæc memoria in senectutem, & impressa animo rudi, usque ad mores proficiet. Etiam dicta claro-

runt

¹ *Illud non pœnitebit.*] Hæc præcepta Erasmi ecphrastice exposuit in libello de pronuntiatione. atque hanc præceptiunculam non solum ad lectionem & scripturam, sed ad mores etiam pertinere, cumque magna pars eruditionis in rerum vocabulis sit posita, suadet ut pueris nomina plantarum, quadrupedum & aliarum rerum proponantur. *Turneb.*

² *Protinus enim.*] Appellat Aristot. lib. de poët. *glossias*, vocabula quædam

inuitatiora & obscuriora: Quintilianus verò expositionem verborum obscurorum. ac inde dicuntur *glossographi*, qui à Latinis *glossularii* & *glossemarii* appellantur. *Idem.*

³ *Γλώσσας.*] Vide Jac. Spiegelii Interpret. ad Prud. p. 215. edit. Weitz. Cæl. Rhodigin. lib. 7. cap. 27. & l. 13. cap. 4. pag. 573. Joh. Wouveren tract. de Polymathia cap. 9. pag. 61. &c.

⁴ *Prosequitur.*] Proponit utilitatem. *Turneb.*

I N 57

rūm virorum & electos ex poëtis maxime (namque eorum parvis cognitio gratior est) locos edificere inter lusum licet. Nam & maximè necessaria est oratori (sicut suo loco dicam) memoria: & ea præcipue firmatur atque alitur exercitatione: & in iis de quibus nunc loquimur ætatibus, quæ nihil dum ipsæ ex se generare queunt, prope sola est quæ juvare curam docentium possit. ¹Non alienum fuerit exigere ab his ætatibus, quo sit absolutius os, & expressior sermo, ut nomina quædam versusque affectatæ difficultatis ex pluribus asperrime coëuntibus inter se syllabis catenatos, & velut confragosos, quàm citatissime volvant. *Χαλεπὸι* græce vocantur. res modica dictu: qua tamen omissa, multa linguæ vitia, nisi primis eximuntur annis, inemendabili in posterum pravitate durantur.

¹ *Non alienum.*] Vide Erasmm in libello de recta pronuntiatione. *Idem.*

C A P. II.

Utrum utilius Domi, an in Scholis erudiantur.

¹SED nobis jam paulatim accrescere puer, & exire de ³ Sgremio, ac discere serio incipiat. Hoc igitur potissimum loco tractanda quæstio est, ²utiliusne sit domi atque intra privatos parietes studentem continere, an frequentiæ scholarum & velut publicis præceptoribus tradere. ³Quod quidem quum iis à quibus ⁴clarissimarum civitatum mores sunt

HOc capite Quint. thesin generalem per comparationem tractat: erudiendine sint pueri domi, an in Scholis? Atque ut in Scholis publicis erudiantur suadet. *Turneb.*

¹ *Utiliusne sit domi atque intra.*] Hanc quæstionem diligentissime tractant, Barth. Keckermann. lib. 1. System. Polit. cap. 9. pag. 949. Timplerus lib. 4. polit. cap. 3. quæst. 3. Melchior. Junius quæst. politic. part. 2. quæst. 43. p. 75. &c. Philipp. Henr. Hanonius disp. politic. 5. p. 216.

² *Quod quidem.*] Nam Lycurgus, ut

publicis gymnasiis Lacedæmoniorum pueri docerentur, hisque præseter pædonomus, instituit. Plato quoque in Nomothesia, ut publice pueri instituatur, jubet. *Turneb.*

³ *Clarissimarum civitatum.*] Ut Lycurgo, quod ex iis quæ de Lacedæmoniorum institutis scripta sunt à multis, satis constat. Quam autem idem Platoni placuerit, si nusquam aliunde, vel hinc appareat, quod censet infantes quoque à nutricibus in certum locum quasi ludum deferendos per singulas tribus. *Camerar.*

B

I *Quam*

sunt instituti, tum eminentissimis auctoribus video placuisse. Non est tamen dissimulandum, esse nonnullos qui ab hoc prope publico more privata quadam persuasione dissentiant. Hi duas præcipue rationes sequi videntur: unam, quod moribus magis consulant fugiendo turbam hominum ejus ætatis, quæ sit ad vitia maxime prona: unde causas turpium factorum sæpe extitisse utinam falso jactaretur. Alteram, quod quisquis futurus est ille præceptor, liberalius tempora sua impensurus uni videtur, ¹ quam si eadem in plures partiatur. ² Prior causa prorsus gravis. Nam si studiis quidem scholas prodesse, moribus autem nocere constaret, ³ potior mihi ratio vivendi honeste, quam vel optime dicendi videretur. Sed mea quidem sententia, juncta ista atque indiscreta sunt. Neque enim esse oratorem nisi bonum virum judico: & fieri etiam si posset, nolo. de hac re igitur prius. ⁴ Corrupti mores in scholis putant: nam & corrumpuntur interim: sed domi quoque: ⁵ & sunt multa ejus rei exempla, tam lævæ hercle quam conservatæ sanctissime utrobique opinionis. Natura cujusque totum curaque distat. ⁶ Da mentem ad pejora facilem, da negligentiam formandi custodiendique in ætate prima pudoris: non minorem flagitiis occasionem secreta præbuerint. nam & esse potest turpis domesticus ille præceptor: nec tutior inter servos malos, quam ingenuos parum modestos conversatio est. At si bona ipsius indoles, si non cæca ac sopita parentum socordia est: & præceptorem eligere sanctissimum quemque (cujus rei

¹ *Quam si eadem in plures partiatur.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 7. p. 19.

² *Prior causa.*] Primo amplificat, deinde solvit. locus est ex comparatione, sed per hypothesin. *Turneb.*

³ *Potior mihi ratio vivendi, &c.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 7. p. 19. & Barthium Advers. lib. 31. cap. 5. p. 1430. Melch. Junium Part. 11. Polit. Quæst. 1. pag. 105. &c. Plin.

lib. 3. Epist. 3.

⁴ *Corrupti mores.*] Refutat opinionem per inversionem. *Turneb.*

⁵ *Et sunt multa ejus rei exempla.*] Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 7. p. 20. Barthius Advers. lib. 31. cap. 5. pag. 1430.

⁶ *Da mentem.*] Comprobatio est per hypothesin: qui locus etiam inversionem habet. *Turneb.*

rei præcipua prudentibus cura est) & disciplinam quæ maxime severa fuerit, licet: ¹ & nihilominus amicum gravem virum, aut fidelem libertum lateri filii sui adjungere: cujus assiduus comitatus etiam illos meliores faciat, qui timebuntur. ² Facile erat hujus metus remedium. ³ Utinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus. Infantiam statim deliciis solvimus. Mollis illa educatio, quam *indulgentiam* vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. ⁴ Quid non ⁵ adultus concupiscet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, & ⁶ jam ⁷ *coccum* intelligit, jam ⁸ *conchylium* poscit. Ante palatum eorum quam os instituimus. In lecticis crescunt: si terram attigerint, è manibus utrinque sustinentium pendent. ⁹ Gaudemus si quid licentius dixerint. *Verba ne* ¹⁰ *Alexandrinis quidem permittenda*

¹ *Et nihilominus.*] Amicum illum & libertum, cujus meminit Fab. appellat Plin. in epist. *custodem & rectorem*, cujus hæc sunt verba: *Adest enim adolescenti nostro cum cæteris naturæ fortunæque dotibus exima corporis pulchritudo, cui in hoc lubrico ætatis non modò præceptor, sed custos etiam rectorque querendus est.* Turnebus.

² *Facile erat.*] Soluta hac objectione, Fabius culpam in parentes transfert: in eosque acerbissime invehitur, ut quos puerorum mores depravare dicat. *Idem.*

³ *Utinam liberorum nostrorum mores non, &c.*] Huc spectant illa apud Plautum, Bacch. III. 3. 34. &c. Terent. Heaut. III. 1. 74. *Deteriores omnes sumus licentia.*

⁴ *Quid non adultus concupiscet? qui in purpuris repit, nondum prima verba exprimit & jam coccum intelligit, jam conchylium poscit, ante paratum eorum, quam mores instituimus.*] Jam *coccum* id est vestes coccineas intelligit: jam *conchylium*, id est conchyliatas poscit vestes: & sic *paratum*, id est vestes atque ornatum eorum, antequam mores instituimus. *Scoppa.*

⁵ *Adultus.*] Argumentatur à minori ad majus. *Turneb.*

⁶ *Jam coccum intelligit.*] Vid. Joh. Scoppæ Parthenop. Collectan. lib. 2. cap. 3. pag. 950. qui pro *palatum leg. paratum.* & Salmaf. in Tertull. de palli. p. 136. & adverb. Cercoeth. p. 136. &c.

⁷ *Coccum.*] Coccus vel quisquiliæ granum est illud ilicis, quo vestes coccineæ & quisquiliatæ tinguntur. Passerat. scribit *coquum*, quia quæ sequuntur videntur magis ad victus rationem, & institutionem pertinere. *Turneb.*

⁸ *Conchylium.*] Conchylium appellant Græci, omnes pisces dura testa opertos. Est etiam genus conchæ & maricis, quo tingitur color non absimilis purpuræ, qui tamen quadantenus est glaucus & austerus. *Idem.*

⁹ *Gaudemus siquid licentius dixerint.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 10. p. 29. *Turneb.*

¹⁰ *Alexandrinis.*] Ægyptii omnes, præsertim Alexandrini, ut ait Strabo, deliciis fuerunt deditissimi. hoc autem loco Quintilianus alludere videtur ad sacra Serapidis, quæ juxta Alexandriam cum magna utriusque sexus lascivia & impudicitia celebrabantur. Meminit

mittenda delitiis, risu & osculo excipimus. Nec mirum: nos docuimus, ex nobis audierunt: nostras amicas, nostros concubinos vident. ¹ Omne convivium obscænis canticis strepit: pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, deinde natura. Discunt hæc miseri antequam sciant vitia esse: inde soluti ac fluentes non accipiunt è scholis mala ista, sed in scholas afferunt. ² Verum in studiis magis vacabit unus uni. ³ Ante omnia nihil prohibet esse istum, nescio quem unum, etiam cum eo qui in scholis eruditur. Sed etiam si jungi utrumque non posset, lumen tamen illud conventus honestissimi, tenebris ac solitudini prætulisset. Nam optimus quisque præceptor frequentia gaudet, ac majore se theatro dignum putat. At vero minores ex conscientia suæ infirmitatis hære singulis, & officio fungi quodammodo ⁴ pædagogorum non indignantur. ⁵ Sed præstet alicui vel gratia, vel amicitia, vel pecunia, ut doctissimum atque incomparabilem magistrum domi habeat: num tamen ille totum in uno diem consumpturus est? aut potest esse ulla tam perpetua ⁶ discantis intentio, quæ non ut visus oculorum obtutu continuo fatigetur? cum præsertim multo plus secreti temporis studia desiderent. Neque enim ediscenti, scribenti, & cogitanti præceptor assistit: quorum aliquid agentibus, cujuscunque interventus impedimento est. Lectio quoque non omnis nec semper ⁷ præeunte vel interpretante eget.

Quando

Ovid. de Tristib. *Idem. Ne Alexandrinis quidem, &c.*] Notum est de Alexandrina luxuria quid literis mandatum sit, cui portentose indulsit Cleopatra. *Camerar.*

¹ *Omne convivium obscænis.*] Videatur Joh. Savaro ad Sidonium p. 20. 21. Joh. Sarisberienf. Policrat. lib. 1. cap. 8. lib. 8. cap. 12.

² *Verum.*] Alteram objectionem refutat primum per antiparastasin, deinde per enstasin. *Turneb. Verum in Studiis.*] Ἀλλὰ. Voir, mais en choses d'estudes.

³ *Ante omnia.*] Πρῶτον ἀπέντων ἔδεν καλῶς.

⁴ *Pædagogorum.*] Qui olim servierant. ⁵ *Sed præstet.*] Addit nunc concessionem quandam, deinde ex comparatione ostendit satius esse erudiri in scholis publicis. Et pro alicui leg. Passerat. *aliquis.* *Turneb.*

⁶ *Discantis intentio.*] Studium in legendo & meditando. *Pitbaus.*

⁷ *Præeunte.*] Vel intelligit eam prælectionem, quæ fieri solet ab artium professoribus: vel priorem quandam pronunciationem, qua præceptores puerorum os & sermonem formabant. *Turneb.*

I Ergo

Quando enim tot auctorum notitia contingeret? ¹ Ergo modicum tempus est, quo in totum diem velut opus ordinetur. Ideoque per plures ire possunt etiam quæ singulis tradenda sunt. Pleraque vero hanc conditionem habent, ut eadem voce ad omnes simul perferantur. ² Taceo ³ de partitionibus & declamationibus rhetorum: quibus certe quantumcunque numerus adhibeatur, tamen unusquisque totum feret. Non enim vox illa præceptoris, ut cœna, minus pluribus sufficit: sed ut sol, universis idem lucis calorisque largitur. *Grammaticus* quoque de ratione loquendi si differat, quæstiones explicet, historias exponat, poemata enarret: tot illa discent, quot audient. ⁴ At enim emendationi prælectionique numerus obstat. Sit incommodum (nam quid fere undique placet?) mox illud comparabimus commodis. Nec ego tamen eo mitti puerum volo, ubi negligatur. Sed neque præceptor bonus majore se turba, quam ut sustinere eam possit, oneraverit: & in primis ea habenda cura est, ⁵ ut is omnino fiat nobis familiariter amicus: nec officium in dicendo spectet, sed affectum. ita nunquam erimus in turba. Nec sane quisquam literis saltem leviter imbutus, eum in quo studium ingeniumque perspexerit, non in suam quoque gloriam peculiariter fovebit. Sed ut fugiendæ sint magnæ scholæ (cui ne ipse quidem rei assentior) si ad aliquem merito concurritur: non tamen hoc eo valet, ut fugiendæ sint omnino scholæ. Aliud est enim ⁶ vitare

¹ Ergo modicum.] Elegantiſſima eſt metaphora ab architectis ducta: qui delineare ſolent temporis momento, quod reliqui fabri toto die ſunt acturi. *Idem.*

² Taceo de partitionibus.] *Partitiones* appellat Quintil. quæ à rhetoribus Græcis *παραγχερήσεις*, id eſt diſtributiones thematis in manum & digitos: quæ fieri ſolent à præceptore, cum thema proponit & in ſuos locos partitur. Hujusmodi ſunt *diviſiones quæſtionum* Sopatri, & *diviſiones epidiſtica* Menandri. *Idem.*

eas,

³ De partitionibus.] Id eſt, materiis diſiſis diſcipulis, quæ dicuntur *παραγχερήσεις*. de qua re lib. 2. Fabius. *Camer.*

⁴ At enim.] Altera eſt anthyphora, quam ſolvit per antiſtaſin. *Turn.*

⁵ Ut is omnino fiat nobis familiariter amicus.] Vide Jan. Gebhard. *Crepund.* l. 1. c. 7. *Parvus.*

⁶ Vitare.] *Vitamus* enim quod omnino fugimus: ut ſi diceret, non eſſe committendos diſcipulos ſcholis publicis. *Eligimus* autem, cum aliquibus propoſitis quod magis idoneum videtur optamus. *Turneb.*

eas, aliud eligere. ¹ Et si refutavimus quæ contra dicuntur jam explicemus quid ipsi sequamur. Ante omnia, futurus orator, cui in maxima celebritate & in media reipub. luce vivendum est, assuescat jam à tenero non reformidare homines, ² neque illa solitaria & velut umbratili vita pallefcere, Excitanda mens & attollenda semper est, quæ in hujusmodi secretis aut languescit, & quendam velut in opaco situm ducit; aut contra tumescit inani persuasione. *Neceffe est enim sibi nimium tribuat, qui se nemini comparat.* ³ Deinde cum proferenda sunt studia, caligat in Sole, & omnia nova offendit: ut qui solus didicerit, quod inter multos faciendum est. ⁴ Mitto amicitias, quæ ad senectutem usque firmissimæ durant, religiosa quadam necessitudine imbutæ. Neque enim est sanctius, sacris iisdem quam studiis initiari. ⁵ Sensum ipsum qui communis dicitur, ubi discet, cum se à congressu, qui non hominibus solum, sed mutis quoque animalibus naturalis est, segregarit? Adde, quod domi ea sola discere potest, quæ ipsi præcipiuntur: in schola, etiam quæ aliis. Audiet multa quotidie probari, multa corrigi. proderit aliqujus objurgata desidia: proderit laudata industria: excitabitur laude æmulatio: turpe ducet cedere pari, pulchrum superasse majores. ⁶ Accendunt omnia hæc animos: & licet ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est. ⁷ Non inutilem scio servatum esse à præceptoribus meis

morem

¹ Et si refutavimus.] More suo Quintilianus & optima œconomia rationes aliorum refutavit, argumentaque opposita comparavit: nunc sententiam suam suis argumentationibus confirmat. *Idem.*

² Neque illa solitaria, &c.] Vide Goldastum ad Petron. p. 529. &c. & Joh. Wouweren ibid. p. 382. Savaro ad Sardon. lib. 2. ep. 10. Pichena nor. ad Tacit. num. 97.

³ Deinde.] Ab inutili. *Turneb.*

⁴ Mitto amicitias, &c.] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. c. 11. p. 31.

⁵ Sensum ipsum.] Sensum commu-

nem Quintil. non vocat sensum illum primum, cui ceteri ancillantur, quique est in anteriori cerebri ventriculo: sed vocat petitionem quandam & experientiam quæ ex hominum congressu sensum colligitur, appellaturque à Cic. *communis prudentia.* *Turneb.*

⁶ Accendunt omnia hæc animos.] Vide Melchior. Junium Method. eloquent. cap. 4. p. 23. & Meursii lib. de gloria *Paraus.*

⁷ Non inutilem.] Cum de ambitione & æmulatione dixisset, obiter morem quendam subjicit ad excitanda puerorum ingenia aptissimum, ut pueris in classis

mōrem, qui cum pueros in classes distribuerant, ordinem dicendi secundum vires ingenii dabant: & ita superiore loco quisque declamabat, ut præcedere profectu videbatur. Hujus rei judicia præbebantur. ea nobis ingens palmæ contentio. ¹ ducere vero classē, multo pulcherrimum. Nec de hoc ² semel decretum erat: tricesimus dies reddebat victo certaminis potestatem. Ita nec superior successu curam remittebat, & ³ dolor victum ad depellendam ignominiam concitabat. ⁴ Id nobis acriores ad studia dicendi faces subdidisse, quam exhortationes docentium, pædagogorum custodiam, vota parentum, quantum animi mei conjectura colligere possum, contenderim. ⁵ Sed sicut firmiores in literis profectus alit æmulatio, ita incipientibus, atque adhuc teneris, condiscipulorum quam præceptoris, jucundior, hoc ipso quod facilius imitatio est. Vix enim se prima ⁶ elementa ad spem tollere effingendæ, quam summam putant eloquentiæ audebunt: proxima amplectuntur magis: ut vites arboribus applicitæ, inferiores prius apprehendendo ramos, in cacumina evadunt. Quod ad eò verum est, ut ipsius etiam magistri, si tamen ambitiosis utilia præferet, hoc opus sit, cum adhuc rudia tractabit ingenia, non statim onerare infirmitatem discipulorum, sed temperare vires suas, & ad intellectum audientis descendere. Nam ut ⁷ vascula oris angusti superfusam ⁸ humeris copiam respuunt: sensim autem influentibus, vel etiam instillatis complentur: sic ani-

classes distributis, ei priores declamandi partes tribuantur qui doctior sit. Turneb.

¹ *Ducere classē.*] Id est, primum locum tenere.

² *Semel.*] Id est, in perpetuum.

³ *Ei dolor.*] Probat hanc consuetudinem Fabius à causis quæ studium & æmulationem concitant metu scilicet & dolore. Turneb. *Dolor victum ad depellend. ignom.*] Similis locus apud Papin. Statium 2. Thebaid. v. 326. &c. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 11. p. 32.

⁴ *Id nobis.*] Probat à suo ipsius iudicio. Turneb.

⁵ *Sed sicut.*] Consuetudinem illam *αεσοδροσιμω* adstringit, ac duntaxat in paulo provectioribus observandam docet, non etiam in rudibus. *Idem.*

⁶ *Elementa.*] Pro elementariis, ut *servitia* pro servis.

⁷ *Vascula oris angusti.*] Pulcherrimus hic Fabii locus in mentem fuit Lactantio de Opificio Dei cap. 8.

⁸ *Humoris copiam resp.*] Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. c. 11. p. 33.

fic animi puerorum quantum excipere possint, videndum est. Nam ¹ majora intellectu, velut parum aptos ad percipiendum animos non subibunt. Utile igitur est habere quos imitari primum, ² mox vincere velis. ita paulatim & superiorum spes erit. ³ His adjicio, præceptores ipsos non idem mentis ac spiritus in dicendo posse concipere singulis tantum præsentibus, quod illa celebritate audientium instinetos. ⁴ Maxima enim pars eloquentiæ constat animo. hunc affici, hunc concipere imagines rerum, & transformari quodammodo ad naturam eorum de quibus loquimur, necesse est. Is porro quo generosior celsiorque est, hoc majoribus velut ⁵ organis commovetur: ideoque & laude crescit, & impetu augetur, & aliquid magnum agere gaudet. Est quædam tacita dedignatio, vim dicendi tantis comparatam laboribus, ad unum auditorem demittere. ⁶ pudet supra modum sermonis attolli. Et sane concipiat quis mente vel declamantis habitum, vel orantis vocem, incessum, pronuntiationem, illum denique animi & corporis motum, sudorem, ut alia præteream, & fatigationem, audiente uno, nonne quiddam pati furori simile videatur? ⁷ Non esset in rebus humanis eloquentia, si tantum cum singulis loqueremur.

C A P.

¹ *Majora intellectu velut, &c.*] Joh. Gebhard. Crepund. l. r. c. 11. p. 33. pro aptos, legit apertos, & retulit ad id quod dixerat, *Vascula angusti oris.*

² *Mox vincere velis.*] Leg. *Mox vincere velit.* Nam ad Præceptores de pueris loquitur Quintilianus. Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 11. p. 33.

³ *His adjicio.*] Post egressionem quam de ambitione & imitatione fecit, ad institutum redit, & commoda publicarum scholarum adfert, ac ostendit præceptorem longe melius in turba docere, quam in solitudine. Turneb.

⁴ *Maxima enim pars.*] Maxima pars eloquentiæ posita est in affectu: qui fit vel sedandis auditorum mentibus, vel,

inflammandis. sed ut Orator affectum concitet, primum affici debet: quod fit (ut ait Fabius) per *phantasiam*, id est visionem, quæ rerum absentium imagines nobis representat: ac Oratorem suum *cuphantasiotum* esse cupit. Idem.

⁵ *Velut organis.*] Metaphora est ducta ab artibus mechanicis. illic enim majora pondera majori etiam difficultate & majoribus instrumentis moventur. Turn.

⁶ *Pudet supra modum attolli.*] Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. c. 11. p. 33. *Modum sermonis* Fabius eleganter vocat, morem & rationem quotidianam loquendi. *Parvus.*

⁷ *Non esset.*] Claudis caput epiphonemare. Turneb.

1 Quo

CAP. III.

*Qua ratione puerorum ingenia dignoscantur,
& quomodo tractanda sint.*

TRadito sibi puero, docendi peritus ingenium ejus in 4 primis naturamque perspiciat. Ingenii signum in parvis præcipuum, 2 memoria est. Ejus duplex virtus, facile percipere, & fideliter continere. Proximum, imitatio: nam id quoque est docilis naturæ: sic tamen, ut ea quæ discit, effingat, non habitum forte & incessum, & si quid in pejus notabile est. Non dabit mihi spem bonæ indolis, 3 qui hoc imitandi studio petet, 4 ut rideatur. Nam probus quoque in primis erit ille vere ingeniosus: alioqui non pejus duxerim tardi esse ingenii, quam mali. Probus autem ab illo segni & jacente plurimum aberit. Hic meus, quæ tradentur, non difficulter accipiet: quædam etiam 5 interrogabit: sequetur tamen magis quam præcurret. 6 Illud ingeniorum velut præcox genus, 7 non temere unquam pervenit ad frugem. Hi sunt qui parva facile faciunt: & audacia proveci, 8 quicquid illic possunt, statim ostendunt.

Possunt

Quo pacto explorare debeat ingenium pueri præceptor, docet Fabius: quam rem fufius tractat: lib. 2. eap. 9. ac illic ait hoc esse faciendum ut certus studiorum habeatur delectus, ac si qua in re peccet pueri natura, à præceptore emendetur ingenium. *Turneb.*

2 *Memoria.*] Memoriam latius fundit Quintilianus, quam soleant philosophi. Nam philosophi virtutem esse finiunt, qua quæ didicimus fideliter continemus. Quintilianus autem sub illius nomine etiam ingenii acumen est complexus. *Idem.*

3 *Qui hoc imitandi studio petet.*] Jan. Gebhard. *Crepund. lib. 1. cap. 1. p. 2. Qui hoc imit. studio petet, ut irideatur.*

4 *Ut rideatur.*] Ridiculæ imitationes, inquit, non sunt bonæ indolis indices: & quem ego ingeniosum intelligi volo

ante omnia quoque probum volo. *Cam.* 5 *Interrogabit.*] Intelligitur ea virtus quæ ἀγχιονία, id est, solertia dicitur: qua ex his quæ tradita sunt nobis, alia colligimus. *Turneb.*

6 *Illud ingeniorum velut præcox genus.*] Videatur Melchior Junius Part. 2. polit. quæst. pag. 71. &c. Michael Piccartus observ. histor. polit. dec. 12. c. 5. p. 373. &c. Coel. Rhodigin. lib. 10. cap. 20. & lib. 31. cap. 6. Julii Guil. Zinegressii Embl. eth. pol. 63. p. 19. 20. *Illud ingeniorum velut, &c.*] Apul. Apolog. Est ille poëtæ versus non ignotus, *Odi puerulum præcoqui sapientia.* Pith.

7 *Non temere unquam.*] Hoc est, fere nunquam. *Rasb. Reg.*

8 *Quicquid illud possint.*] Palat. illi. Gebhard. legit: *Et audacia proveci, quicquid illico possunt, statim ostendunt.*

B 5

1 Imita-

Possunt autem id demum quod in proximo est: verba continuant: hæc vultu interrito nulla tardati verecundia proferunt; non multum præstant, sed cito. non subest vera vis, nec penitus immixtis radicibus nititur: ut quæ summo solo sparsa sunt semina, celerius se effundunt: & ¹ imitatae spicas herbulæ, inanibus aristis ante messem flavescunt. Placent hæc annis comparata, deinde stat profectus, admiratio decrefcit. ² Hæc cum animadverterit, perspiciat deinceps quonam modo tractandus sit discantis animus. Sunt quidam, nisi institeris, remissi: ³ quidam imperia indignantur: ⁴ quosdam continet metus, quosdam debilitat: ⁵ alios continuatio extundit, in aliis plus impetus facit. ⁶ Mihi ille datur puer, quem laus excitet, quem gloria juvet, qui victus fleat. hic erit alendus ambitu, hunc mordebit objurgatio, hunc honor excitabit; in hoc desidiam nunquam verebor. ⁷ Danda est tamen omnibus aliqua remissio: non solum quia nulla res est quæ perferre possit continuum laborem: atque ea quoque quæ sensu & anima carent, ut servare vim suam possint, velut alterna quiete ⁸ retenduntur: sed

quod

¹ *Imitata spicas herbulæ.*] Videantur Jani Gebhard. Animadvers. ad Propert. lib. 4. eleg. 5. v. 47. p. 292. &c.

² *Hæc cum animadverterit.*] Postquam de ingenio est locutus, nunc de natura agit, ut pro naturali ipsius animi habitu, aliter atque aliter à præceptore puer impellatur ad literas. Turneb.

³ *Quidam imperia indignantur.*] Indignatur imperium, qui se indignum putat, cui imperetur. Raph. Reg.

⁴ *Quosdam continet metus.*] Agit Fabius de diversitate ingeniorum in pueris, quorum aliqui calcaribus urgeri; aliqui frenis revocari volunt. Vide Hadr. Jun. animadv. lib. 4. cap. 26. pag. 42. pro *extundit* legit *retundit*, id est, absterret.

⁵ *Alios continuatio.*] Exponunt vulgo hunc locum hoc modo, ut dicant continuitate præcipiendi quorundam ingenia obtundi. Sed cum hæc oratio

constet antithetis, hic videtur esse sensus, ut intelligamus continuationem præceptionis extorquere & exprimere, ideoque efficere ut nonnulli literas adipiscantur. Turneb.

⁶ *Mihi ille.*] Quintilianus (ut Valla docet) in puero illo quem oratorem efficere molitur, plus posse dicit voluntatem quandam quæ gloria accendatur, quam nimium ingenii acumen. Idem.

⁷ *Danda est tamen omnibus aliqua remissio.*] Quod caret alterna requie, durable non est, &c. Et vide Phœdrum fabula 53. Erasimum in Proverb. *Arcus tensus rumpitur.* Lud. Chresollii vacat. autumnal. lib. 1. c. 1. Melch. Junii orat. part. 1. p. 388. de ludis Adolescent. Plutarchi libell. *Ἐὶ παιδὸν ἀγῶνις.* Jul. Gul. Zingresii Emblem. Ethico-Polit. 59. & 73.

⁸ *Retenduntur.*] Remittuntur, laxantur. Nam hanc vim, *re*, habet, ut recludo,

quod studium discendi, voluntate, quæ cogi non potest, constat. Itaque & virium plus afferunt ad discendum renovati ac recentes, & acriorem animum, qui fere necessitatibus repugnat. Nec me offenderit lusus in pueris: est & hoc signum alacritatis: neque illum tristem, semperque demissum, sperare possum erectæ circa studia mentis fore, cum in hoc quoque maxime naturali ætatibus illis impetu, jaceat. Modus tamen sit remissionibus, ne aut odium studiorum faciant negatæ, aut ocii consuetudinem nimiam. Sunt etiam nonnulli acuendis puerorum ingeniis non inutiles lusus, quum positis invicem cujusque generis quæstiunculis æmulantur. Mores quoque se inter ludendum simplicius detegunt: modo nulla videatur ætas tam infirma, quæ non protinus quid rectum pravumque sit, discat, tum vel maxime formanda, cum simulandi nescia est, & præcipientibus facillime cedit. *Frangas enim citius quam corrigas quæ in prævum induruerunt.* Protinus ergo ne quid cupide, ne quid improbe, ne quid impotenter faciat, monendus est puer: habendumque in animo semper illud Virgilianum Georg. 2.

Adeo in teneris consuescere multum est.

¹ Cædi vero discentes, quanquam & receptum sit, & Chrysippus non improbet, minime velim: primum, ² quia deforme atque servile est: & certe, quod convenit, si ætatem mutes, injuria. ³ deinde, quod ⁴ si cui tam est mens illiberalis, ut objurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut pessima quæque mancipia, durabitur. postremo quod

clūdo, resigno: similitudine ducta ab arcubus, quibus cum sagittarii non uti cogitent ne nervos quidem accommodare soleant. *Camerar.*

¹ *Cædi vero.*] Vetat Quintilianus (quod etiam Plutarchus in libello de liberis educandis prohibet) ne pueri cædantur, sed assiduitate & diligentia præceptorum, literas potius amare cogantur. *Turneb. Cædi vero discentes.*] Videatur Seneca de Providentia p. 710. Melech. Jun. part. 11. quæst. polit. 46. pag. 94.

&c. Lud. Lavateri comment. in Prov. Salom. 132. c. 23. Fabius infra lib. 11. cap. 2. & c. 4.

² *Quia deforme est & servile.*] Vide Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 7. p. 17. & pro injuria leg. injuria.

³ *Deinde.*] Nunc ab inutili & à similitudine solvit. *Turneb.*

⁴ *Si cui tam est mens illiberalis, &c.*] Huc pertinet locus Senecæ, lib. 1. de Clement. c. 16. p. 240. Edit. Lips.

quod ne opus quidem erit hac castigatione, si assiduus studiorum exactor adstiterit. ¹ Nunc fere negligentia pædagogorum sic emendari videtur, ut pueri non facere quæ recta sunt cogantur, sed ² cur non fecerint puniantur. Denique cum parvulum verberibus coëgeris, quid juveni facias, cui nec adhiberi potest hic metus, & majora discenda sunt? Adde, quod multa vapulantibus dictu deformia, & mox verecundiæ futura, sæpe dolore vel metu accidunt: qui pudor refringit animum, & abjicit, atque ipsius lucis fugam & ³ tædium dicit. Jam si minor in deligendis custodum & præceptorum moribus fuit cura, pudet dicere in quæ probra nefandi homines isto cædendi jure abutamur, quam det aliis quoque nonnunquam occasionem hic miserorum metus. Non morabor in parte hac. nimium est quod intelligitur. Quare hoc dixisse satis est, in ætatem infirmam, & injuriæ obnoxiam, nemini debet nimium licere. Nunc quibus instituendus sit artibus qui sic formabitur, ut fieri possit orator, & quæ in quaque ætate inchoanda, dicere ingrediatur.

¹ *Nunc fere.*] Reprehendit pædagogos qui quadam negligentia desidesunt, nec pueris quid facere debeant præcipiunt, & tamen pueros si non fecerint, cadunt, & verberibus suam e-

mendant negligentiam. *Turneb.*

² *Cur.*] Quod vel cum Passerat.

³ *Tædium dicit.*] *Arndtæ* Juvenal. Sat. 7. *Tædia tunc subeunt animos, tunc sequensuamque Terpsichoren odit.*

C A P. I V.

De Grammatica. De literis & earum potestate, ac orationis partibus. Declinare in primis nomina & verba scire oportet pueros, & genera nosse ac casus. Tum de verbis & verborum appellationibus.

5 **P** **R**IMUS in eo qui legendi scribendique adeptus erit facultatem, grammaticis est locus. Nec refert, de Græ-

CO AN

¹ *Primus.*] Postea quam puer apud literatorem (quem appellant *grammatistam*) prima elementa didicit, est grammaticis committendus. Optimo

igitur doctrinæ ordine Fabius de grammatica hic præcipit, cujus encomium addit, & amplificationem. *Turneb.*

1 *flac*

co an de Latino loquar : quamquam Græcum esse priorem placet. Utrique eadem via est. ¹ Hæc igitur professio cum brevissime ² in duas partes dividatur, *recte loquendi scientiam & poetarum enarrationem* : plus habet in recessu, quam in fronte promittit. Nam & scribendi ratio conjuncta cum loquendo est, & enarrationem præcedit emendata lectio : & mistum his omnibus judicium est : ³ quo quidem ita severe sunt usi ⁴ veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare, ⁵ & libros qui falso viderentur inscripti, tanquam subditios summovere familia permiserint sibi, sed auctores alios ⁶ in ordinem redegerint, alios omnino ⁷ exemerint numero. Nec poetas legisse fatis est : excutiendum omne scriptorum genus : non propter historias modo, sed verba, quæ frequenter jus ab auctoribus sumunt. Tum nec citra musicen grammaticæ potest esse perfecta, cum ei de ⁸ metris rhythmisque dicendum sit. Nec si rationem syderum ignoret, poetas intelligat : qui (ut alia mittam) toties ortu occasuque signorum in declarandis temporibus

utun-

¹ *Hæc igitur.*] Diomedes grammaticam dividit in *horysticem*, id est, finitivam, quæ præceptiones recte scribendi & recte loquendi tradit, quam quidem partem artibus suis grammatici duntaxat complectuntur : & *exegeticen*, id est, enarrativam, quæ poetarum & historicorum explicationem docet. ea utuntur grammatici cum profitentur. *Idem.*

² *In duas partes, &c.*] Grammaticus recte loqui docet. Grammaticus Poëtas enarrat. Neque vero recte loqui, nisi recte scribat potest : cum sit stilus optimus dicendi magister, nequit enarrare Poëtas, nisi emendatos. quæ omnia judicium postulant. Varroni iv. partibus Grammaticæ officia constant : Lectio, Enarratio, Emendatio, Judicio. *Pithæus.*

³ *Quo quidem.*] Olim poematum censes, *Critici*, id est, Judices appellabantur, qui iidem grammatici quoque erant. ac (ut scribit Dion) res utraque

manavit ab Aristotele. *Turneb.*

⁴ *Veteres.*] Grammatici Critici duabus notis utebantur, *asterisco* cum aliquid deesse significabant ; & *obelisco* cum aliquid adjectum notabant. *Idem.*

⁵ *Et libros qui falso viderentur, &c.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. i. cap. 14. pag. 44. & pro *subditios* leg. *subditos.*

⁶ *In ordinem redegerint.*] Hoc est, auctore Prisciano, inter viles & abjectos illos connumerarint. Contra, *ex numero eximere*, est eximium atque egregium aliquem constituere. *Raph. Reg.*

⁷ *Exemerint numero.*] Hoc est eximios fecerint, extra ingenii aleam posuerint.

⁸ *Metris.*] Metrum, quod *dimensionem* interpretatur Fabius, constat certis temporibus & certo pedum ordine. *Rhythmus*, quem Fabius numerum interpretatur, constat temporum spatii, non tamen certo pedum ordine. *Turn.*

I Empe-

utuntur. Nec ignara philosophiæ, cum propter plurimos in omnibus fere carminibus locos ex intima quæstionum naturalium subtilitate repetitos, tum vel propter ¹ *Empedoclem* in Græcis, Varronem ac ² *Lucretium* in Latinis: qui præcepta sapientiæ versibus traderunt. Eloquentia quoque non mediocri est opus, ut de unaquaque earum quas demonstravimus rerum, dicat proprie & copiose. Quo minus sunt ferendi, qui hanc artem ut tenuem ac jejunam cavillantur: quæ nisi oratori futuro fundamenta fideliter jecerit, quicquid superstruxeris, corruet: necessaria pueris, jucunda senibus: dulcis secretorum comes: & quæ vel sola omnium studiorum genere plus habet operis quam ostentationis.

6³ Ne quis igitur tanquam parva fastidiat grammatices elementa: non quia magnæ sit operæ, consonantes à vocalibus discernere, ipsasque eas in semivocalium numerum, mutarumque partiri: sed quia ⁴ interiora velut sacri hujus aduentibus, apparebit multa rerum subtilitas, quæ non modo acuere ingenia puerilia, sed exercere altissimam quoque eruditionem ac scientiam possit. An cujuslibet auris est exigere ⁵ literarum sonos? Non Hercule magis, quam nervorum. At grammatici saltem omnes in hanc descendunt rerum tenuitatem, ⁶ desint ne aliqua nobis necessariæ literæ, non quum Græca scribimus (tum enim ab iisdem ⁷ duas mutua-

¹ *Empedoclem.*] Empedocles poëta Agrigentinus, res naturales quinque millibus versuum est persecutus, eumque scribunt philosophiam Pythagoræ esse secutum: quocirca Aristoteles in libello de poëtica, eum Philosophis potius quam Poëtis annumerat. *Turneb.*

² *Lucretium.*] Lucretius res naturales carmine persecutus est, ac dogma est secutus Empedoclis & Epicuri. *Idem.*

³ Hoc capite Fabius de literarum pronuntiatione tractat, additque subtiles quæstiones, quibus investigat desintne Latinis literæ, an supersint, ad extremum partes orationis dividit. *Idem.*

⁴ *Interiora.*] Metaphora est ducta à

mysteriis, quæ in aditis & arcanis locis fiunt, quo mystagogus neminem nisi initiatum ducit. *Idem.*

⁵ *Literarum sonos.*] Nam unaquæque vocalis latina, ut docet Priscianus lib. primo, saltem habet decem sonos. *Idem.*

⁶ *Desintne nobis.*] Priscianus docet longe plures esse pronuntiationes quam literas: quod, si verum est, & literæ pronuntiationis sunt indices, dubium non est, quin Latinis & Græcis literæ desint. *Idem.*

⁷ *Duas mutuanur.*] Quanquam Priscianus testis est, antiquos Latinos nec γ græco usos, nec α , sed pro γ usurpasse α , pro α modo σ simplex, modo $\sigma\sigma$ duplex.

mutuamur) sed propriè in Latinis, ut in his ¹ *Servus*, & *Vulgus*, ² *Æolicum digamma* desideratur. ³ Et medius est quidam V & I literæ sonus. Non enim sic *optimum* dicimus, ut *opimum*. Et in *Here*, neque E planè, neque I auditur. ⁴ An rursus aliæ redundant, præter illam ⁵ aspirationis notam H, quæ si necessaria est, etiam contrariam sibi poscit H. ⁶ Et K, quæ & ipsa quorundam nominum nota est. Et Q, cujus similis effectus speciesque, nisi quòd paulum à nostris obliquatur, *Kappa* apud Græcos: nunc tantum in numero manet. Et nostrarum ultima X, qua tamen carere potuimus, si non quæsissemus. ⁷ Atque etiam in ipsis vocalibus grammatici est videre, an aliquas pro consonantibus usus acceperit, quia *Jam* sicut *Tam* scribitur, & *Quos* ut *Cos*. Atque ut vocales jungantur. ⁸ aut enim unam longam faciunt, ut veteres scripsere, qui geminatione earum velut apice utebantur:

¹ *Servus & vulgus.*] In quibus instituit Claudius Cæsar, ut uteretur digamma Æolico: quæ ratio tamen non obtinuit. *Idem.*

² *Æolicum digamma.*] Æolicum digamma litera est peculiaris Æolibus Græcis, qua interdum pro aspiratione utuntur, interdum pro consonante simplici, interdum pro duplici. ea litera Latini utuntur, cum u consonans pronuntiari debet pinguius, aut cum φ Græcum mutatur in f Latinum. *Idem.*

Æolicum digamma.] Quo usi Æolenses fuerunt pro aspiratione, atque etiam in medio dictionum, ut vocales separarentur. Ejus, ut nomine etiam indicatur, figura gemini y traditur, cum potestas literæ F fuisse videatur. Itaque illi pro ελένη Feλένη dixere, & πόδιον Fοδιον, & δεισθ δεισθ. *Camerar. Æolicum digamma.*] *Æolicum digammon* H desideratur. Et medius, & c. *Pithæus.*

³ *Et medius est quidam.*] Priscianus libro primo ait confusum esse quendam sonum & temperatum ex u & i: ideoque hujuscemodi nomina à Latinis modo per u, modo per i scripta fuerunt.

Turneb. Medius est.] Hoc est sonus quidam etiam alicubi auditur, neque literæ i, neque u proprius, sed quasi alterius literæ inter utramque mediæ. *Camerar.*

⁴ *An rursus.*] Priscianus docet Latinis duntaxat necessarias esse literas antiquas. *Turneb.*

⁵ *Aspirationis.*] Veteres Latini ita ut Græci supra vocales aspirationis tantum notam posuere, quod & ipsi in antiquis codicibus animadvertimus, ævium legentes & òdie, quod etiam ex hoc Quintiliani loco manifestum est. Nam si aspirationis, inquit, signatio necessaria est, erit etiam attenuationis, id est, quam ψιλῶ vocant: nam & veteres ait, non supra sed ante vocales aspirationem posuisse. *Camerar.*

⁶ *Et k.*] Etiam Priscianus docet literas k & q esse supervacuas, cum habeamus c. *Turneb.*

⁷ *Atque.*] Alias, at quæ literæ. *Idem.*

⁸ *Aut unam longam.*] Antiqui Latini cum vocalem longam scribere volebant, eam geminabant, eaque geminatio erat loco virgulæ extensæ, quæ notat syllabam esse longam. *Idem.*

bantur: ¹ aut duas: nisi quis putat etiam ex tribus vocalibus syllabam fieri, quod nequit, si non aliqua officio consonantium fungantur. ² Quæret etiam hoc, quomodo duabus demum vocalibus in seipsas coeundi natura sit, cum consonantium coeat nulla, nisi alteram frangat. ³ Atqui litera I sibi insidit. *Conjicit* enim est ab illo *Facit*. Et V, quomodo nunc scribitur *Vulgus* & *Servus*. Sciat etiam Ciceroni placuisse ⁴ *Aijo* ⁵ *Maijamque* geminata I scribere. Quod si est, etiam jungetur ut consonans. Quare discat puer, quid in literis proprium, quid commune, quæ cum quibus cognatio: nec miretur cur ⁶ ex *Scanno* fiat *Scabellum*: aut à *pinna* (quod est acutum) securis utrinque habens aciem, *Bipennis*: ne illorum sequatur errorem, qui quia à pennis duabus hoc esse nomen existimant, *pinnas* avium dici volunt. Neque has modò noverit mutationes, quas afferunt declinatio, aut præpositio, ut *secat secuit*, *cadit excidit*, *cadit cecidit*, *calcat exculcat*: & sic à *lavando lotus*, & inde rursus *illotus* & mille alia: sed & quæ rectis quoque casibus ætate transierunt. Nam ut ⁷ *Valesii* & *Fusii* in *Valerios Furiosque* venerunt:

¹ *Aut duas.*] Hic locus de diphthongo intelligi potest: non desunt tamen qui intelligant de dictionibus quibusdam longis, quarum literæ quædam mutabantur. nam antiqui pro *lumen* dixerunt *loumen*. Idem.

² *Quæret etiam.*] Videtur hoc præceptum intelligendum de ratione scribendi veterum, qui vocales longas geminabant, ac *rees doonum* dicebant. idem autem fieri non potest in consonantibus eisdem, nisi altera alterius sonum elidat, ut *efficio*, *addico*. Idem.

³ *Atqui litera I sibi incidit.*] Palatin. membran. *A quidem literam I sibi inscindit*. Jan. Gebhard. Crepund. l. i. cap. 14. pag. 45. *Parens*.

⁴ *Aijo.*] I consonans in principio simplex est, ut *Juno*: in medio duplex, ut *aio*, ideoque antiqui per duplex *ii* scribebant: ita tamen pronunciandum censet Priscianus, ut prius *i*, priori vo-

cali adjungatur, posterius posteriori, ne consonantes eadem jungantur, & complexe efferantur. *Turneb.*

⁵ *Maijamque.*] Scribe *Aijamque*. vide *Turneb. adversar. l. 19. c. 12. p. 648.*

⁶ *Ex scanno fiat scabellum.*] Adeundus *Joh. Savaro ad Sidon. lib. 1. epist. 1. pag. 23. Scanno fiat.*] Habet enim M. cum B. cognationem, quod in Græcis est manifestum, ut cum in præterito passivo primi ordinis acutisonorum verborum primæ zyzygiæ mutæ in M. transeunt. Est autem magna cura hæc res animadvertenda & tradenda pueris, qua expedita multum difficultatis exclusum fuerit. *Camerar.*

⁷ *Valesii.*] Antiqui Latini *v* litera non utebantur, aitque Pomponius Jurisc. primo de origine juris, primum Apium Centimanum *v* literam apud Latinos invenisse. meminit quoque hujus rei *Livius lib. 2. ab urb. cond. Turneb.*

I Lastis.]

nerunt: ita *arbos, labos, vapos* etiam & *clamos* ac ¹ *lafes*, ætatis fuerunt. Et hæc ipsa S litera ab his nominibus exclusa, in quibusdam ipsa alteri successit: nam *mertare* atque *pultare* dicebant. ² *Quin sædum sædusque*, ³ pro aspiratione, F, vel simili litera utentes: nam contra Græci aspirare solent φ: ⁴ ut pro Fundanio Cicero testem qui primam ejus literam dicere non posset, irridet. Sed ⁵ B quoque in locum aliarum dedimus aliquando, unde ⁶ *Burrhus & Bruges, & Balænna*. ⁷ Nec non eadem fecit ex *duello bellum*, unde *Duellios* quidam dicere *Bellios* ausi. Quid *stlocum stlitesque*? Quid T literæ cum D quædam cognatio? Quare minus mirum si in vetustis operibus urbis nostræ, & celebribus templis legantur *Alexanter & Cassantra*. ⁸ Quid O atque V permutatæ invicem? ut *Hecoba & notrix, Culchides, & Pulyxena*, scriberentur: ac ne in Græcis id tantum notetur, *dederont, ac probaveront*. ¹⁰ Sic *ὄδυσος*, quem *ἔδυσεία* fecerunt Æoles, ad

¹ *Lafes*.] Quod *laser* dixere, succus silphii, id est, laserpitii cyrenaici germinis. *Camerar.*

² *Quin sædum*.] Quemadmodum Æoles suo digamma utebantur plerumque pro aspiratione; ita quoque Latini veteres f, quæ non est absimilis digamma Æolico, pro aspiratione utebantur. *Turneb.* *Quin sædum sædusque*.] Docet Quintilianus diligenter observandum, quæ literæ suos locos naturaliter obtineant, quæve in aliorum quasi subierint. Nam & R, in locum S, & in hujus T, alicubi successit, &c. *Camerar.*

³ *Pro aspiratione*.] Digamma Æolicum, quod est nostrum v, consonans appellatur à Varrone, & Didymo vau, ut docet Priscianus. *Turneb.*

⁴ *Ut pro Fundano*.] Apparet testem illum hominem Græcum fuisse, ac pro Latino, pinguius protintiasse & extulisse φ Græcum. *Idem.*

⁵ *B. quoque in locum aliarum*.] Videndus Paul. Merula ad Ennium, pag. 59.

⁶ *Byrrhus*.] Videtur non *Byrrhus* legendum, sed *Burrhus*. ita enim antiqui

Latini appellarunt hominem rufum, *Burrhum*, ut docet Festus Pompejus, quem Græci *πύρρον* vocant.

⁷ *Nec non, &c.*] Pyrrhus, Phryges, Phalæna. Cicero in Oratore. pro, Locum, litesque Sext. Pomp. fragm. 19.

⁸ *Quid O atque V*.] Plinius scribit nonnullas Italiæ civitates o caruisse, & illius loco, u substituisse. quod maxime fecerunt Umbri & Thufci. contra quædam in Italia fuerunt civitates, quæ u non uterentur, & illius loco o substituerunt. *Turneb.*

⁹ *Pulyxena*.] Ita nos quoque epistolam semper in veteri Plautino codice scriptam notavimus. *Camerar.*

¹⁰ *Sic ὄδυσος, quem ἔδυσεία, &c.*] Forte melius scriberetur *ἔδυσεία*, cum præsertim soleant Æoles mutare o in v, & Latini v in u: atque ita servaretur eadem quantitas. *Turneb.* *Sic ὄδυσος*.] Consuevere Æolenses pro o, v ponere, ipsumque v, ut plenius sonaret, o *μικρῶ* quasi explere, ut *δυσεία*. *Camerarins.*

C I Ulyxem

ad ¹ *Ulyxem* deductus est. Quid? non E quoque I loco fuit? ut ² *Menerva*, & *leber*, & *magester*, & *Dijove* & *Vejove*, pro *Dijovi* & *Vejovi*? ³ Sed mihi locum signare satis est. Non enim doceo, sed admoneo docturos. Inde in syllabas cura transibit, de quibus in orthographia pauca annotabo. Tum videbit ad quem hoc pertinet, quot & quæ sint partes orationis: quamquam de numero parum convenit. ⁴ Veteres enim quorum fuerunt *Aristoteles* quoque atque *Theodectes*, verba modo & nomina & convictiones tradiderunt: videlicet quod in verbis vim sermonis, in nominibus materiam, (quia alterum est quod loquimur, alterum de quo loquimur) in convictionibus autem complexum eorum esse judicaverunt, quas *conjunctiones* à plerisque dici scio, sed hæc videtur ex *συνδεδεμένοι* magis propria translatio. ⁵ Paulatim, à philosophis, ac maxime Stoicis, auctus est numerus: ac primum convictionibus articuli adjecti, post præpositiones nominibus appellatio, deinde pronomen, deinde infinitum verbo participium, ipsis verbis adverbia. Noster sermo articulos non desiderat, ideoque in alias partes orationis sparguntur. Sed accedit superioribus interjectio. Alii tamen ex idoneis duntaxat auctoribus octo partes secuti sunt, ut *Aristarchus*, & ætate nostra *Palæmo*, qui vocabulum sive appellationem nomini subjecerunt tanquam species ejus. At ii qui aliud *nomen* aliud *vocabulum* faciunt, novem. Nihilominus fuerunt qui ipsum adhuc vocabulum ab *appellatione* diducerent, ut esset *vocabulum*, corpus visu tactuque mani-

¹ *Ulyxem*, & c.] Gellius libro 3. c. 12.

² *Menerva*, *leber*, & *magester*.] Varro de re Rust. lib. 1. cap. 2. & 48. Et ad eundem Paul. Merula ad Ennium p. 58. Lud. Cresollus vacat. Autumn. lib. 3. cap. 13. p. 530.

³ *Pro Dijovi & Vejovi*.] Inscriptiones dedicationum templorum proculdubio spectavit Fabius de Jove Victore. Vide Agellium lib. 5. cap. 12. Mosellan. p. 21. *Dijovi & Vejovi*.] Alias *Dejove*

victore, non *Dejovi victori*.

⁴ *Veteres enim, quorum, & c.*] Dialectici (ut ait Priscianus) partes orationis ponunt *nomen* & *verbum*, quod illa duo juncta integram faciant orationem. cætera appellant *syncategoremata*, id est, consignificantia. Turneb.

⁵ *Paulatim à philosophis*.] Dionysius Halicarnassæus dicit quatuor partes positas esse à Stoicis, *nomen*, *verbum*, *conjunctionem*, *articulum*: Priscianus vero quinque, & addit *appellationem*. Idem.

manifestum, *domus*, *lectus*: *appellatio*, cui vel alterum deest, vel utrunque, *ventus*, *caelum*, *deus*, *virtus*. Adjiciebant & asseverationem, ut *heu*: & attrectationem, ut *fasceatim*. quæ mihi non approbantur. Vocabulum, an appellatio dicenda sit ¹ *περονησια*, & subjicienda nomini, necne, quia parvi refert, liberum opinaturis relinquo. ² Nomina decli- 7
nare & verba in primis pueri sciant: neque enim aliter pervenire ad intellectum sequentium possunt. quod etiam monere supervacuum fuerat, nisi ambitiosa festinatione plerique à posterioribus inciperent: & dum ostentare discipulos circa speciosa malunt, compendio morarentur. At si quis & didicerit satis, & (quod non minus ³ deesse interim solet) voluerit docere quæ didicit, non erit contentus tradere in nominibus tria genera, & quæ sint duobus omnibusve communia. Nec statim diligentem putabo, qui promiscua, quæ & *epicæna* dicuntur, ostenderit, in quibus sexus uterque per alterum apparet: aut quæ fœminina positione *mares*, aut neutrali *fœminas* significant, qualia sunt, *Murana*, & *Glycerium*. Scrutabitur mille præceptor acer atque subtilis origines nominum: ut ⁴ quæ ex habitu corporis ⁵ *Cicerones*, *Rufos*

1 *Περονησια*.] Latine vocabulum. Appellatio videtur magis è Græco propria translatio. *Pithæus*.

2 Post partium orationis divisionem, nunc accidentia optimo ordine persequitur in his duntaxat partibus quæ præcipuæ putantur, nomine scilicet & verbo. Turneb.

3 Deesse.] Prodesse. Pith.

4 Quæ ex habitu.] Hac de re lege Plutarch. in vita Coriolani. Idem.

5 *Cicerones*, *Rufos*, *Longosque*.] *Cicerones* vitio additos & ubi aliquid secretius invenit in scriptis Gebhardus: ut & prisca habent editiones. Sed ne sic quidem sanus locus. Quid enim est, quæ *Rufos Longosque fecerunt*? utrum quæ nomina, an quæ origines? ex quo sensu utrumvis? Cætera non liber exagitare. Satis ipsa quemvis ostendunt attente le-

gentem. Tò *Vopiscus* tamen quæ est petitum ex illis, quæ post natos eveniunt? Numquis alius igitur *Vopiscus*, quam qui in utero matris geminus conceptus, altero abortu ejecto, incolumis editur? ut Valerius & Plinius tradunt. Sin, hiccine nascenti casus, an postquam jam natus est, evenit? Prorsus pessime hunc habitum locum, nec nisi magno facinore restitui posse censeo. Videbatur autem: ut quæ ex habitu corporis *Rufis Longisque fecerunt*: ubi erit aliquod secretius *Sulla*, *Burrhi*, *Galbæ*, *Planci*, (vel *Planti*: & forsitan utrumque ponendum) *Pansæ*, *Scauri taliaque* & ex casu nascentium, *Agrippa* & *Opiter* & *Cordus* & *Postellus* & *Vopiscus*: & ex iis, quæ post natos eveniunt, unde jam *Cotta*, *Scipiones*, *Lanates*, *Serrani* sunt, & ex variis causis. Quæ, inquit, ex habitu corporis *Rufis Longisque fecerunt*,

fos Longosque fecerunt: (nisi erit aliud secretius, ¹ *Sylla*, *Burrhi*, ² *Galba*, ³ *Planci*, *Pansa*, *Scauri*, taliaque) & ex casu nascentium: hinc *Agrippa* & *Opiter* & *Cordus* & *Posthumus* erunt, & ex iis quæ post natos eveniunt, unde *Vopiscus*. Jam *Cotta*, *Scipiones*, *Lenates*, *Serani* sunt: & ex variis causis. Gentes quoque ac loca, & alia multa reperias inter nominum causas. ⁴ In servis jam intercidit illud genus quod ducebatur à domino, unde ⁵ *Marcipores*, *Publiporesque*. Quærat etiam, sitne apud Græcos vis quædam sexti casus, & apud nos quoque septimi. ⁶ Nam cum dico, *hasta percussi*, non utor ablativi natura: nec si idem Græce dicam, dativi, τῷ δδοι.

8 Sed in verbis quoque quis est adeo imperitus, ut ignoret genera & qualitates & personas & numeros? Literarii pene ista sunt ludi & trivialis scientiæ. Jam quosdam illa turbabunt,

intellige, nomina majores vel Romani homines. *Ubi*, quo in genere nomen erit, aliud secretius, non ita obvia originis. *Sulle* autem, non *Sille*, neque *Sylla* scribendum: sed neque *Sili* cum Sigonio corrigendum. Nam ab habitu corporis *Sullam* dictum, qui princeps hoc cognomen tulit (quippe *Σουλῆς* à *Sura*, quod etiam *Corneliæ* gentis) primi, quod sciam, observavimus: qui id occupavit publicare sub nomine *Aliorum*, à nobis per familiares literas accepit. Pergit *Fabius*: taliaque, id est, juxta secretiora & ex casu nascentium sunt *Agrippa* & *Opiter*. Nam rã hinc erunt, aliena manus putamus. Denique legimus, quæ post natos eveniunt, id est, nativitates, quæ non imponuntur statim ex casu, qui nativitatibus intervenit, sed postea per varia vitæ tempora. *Natus*, ut magno natu, majores natu. Gronovius. *Cicerones Rufos*.] Vide Jan. Gebhard. *Crepund. lib. 1. cap. 14. pag. 45.*

¹ *Sylla*, *Burrhi*.] Videatur *Cælius Rhodigin. lib. 24. cap. 5. pag. 114.*

² *Galba*.] Vel à *galba*, vel *galbula* avi, vel à *galbano*, vel *galbeo*, quod medicamentum est lanis involutum: vel quia *galba* lingua Gallica significat præpin-

guem. vel à vermiculis afeali, qui *galba* appellantur. *Turneb.*

³ *Planci*.] A pedum planicie nomen habent: nam *planice* sunt tabulæ planæ. Alii tamen *Planti* legunt, qui nomen quoque sortiuntur à planicie pedum. vel à Græco nomine *πλατύς*, id est, *latus*. Idem.

⁴ *In servis*.] Antiqui Romani unum duntaxat habebant servum, qui ex nomine heri appellabatur. sed cum postea luxuria crevisset, pluresque habere cœpissent servos, hujuscemodi appellationes exoleverunt. Idem.

⁵ *Marcipores*.] Id est, pueri & servi *Marci*. not. *Priscian. in his ultimam esse brevem. Idem. Marcipores, Publiporesque.*] Videatur *Phil. Beroald. Annotat. in Quintil. p. 240. in Lamp. Crit. 1. Jac. Spiegelius interpret. in Prudent. p. 192. edit. Weitzianæ. Ger. Vossius Instit. Orat. lib. 4. cap. 12. pag. 245. Priscian. lib. 6. Plin. lib. 3 r. cap. 1.*

⁶ *Nam cum dico*.] Ajunt Grammatici septimum esse casum, quando terminatione ablativi utimur; ita tamen ut nec nomen ablativum regat, nec verbum, nec etiam præpositio addatur quæ illum casum exigat. *Turneb.*

bunt, quæ declinationibus non ¹ tenentur. ² Nam & quædam, *participia*, ³ an verbi appellationes sint, dubitari potest, quia aliud alio loco valent, ut *lectus*, & *sapiens*. Quædam appellationibus similia, ut ⁴ *fraudator*, *nutritor*. Jam, *Itur in antiquam sylvam*, nonne propriæ cujusdam rationis est? ⁵ nam quod initium ejus invenias? cui simile *Fletur* accipimus: aliter ut,

Panditur interea domus omnipotentis olympi.

Aliter ut,

--- Totis Usque adeò turbatur agris ---

⁶ Est etiam quidam tertius modus, ut *urbshabitatur*: unde & *campus curritur*, *mare navigatur*. ⁷ *Pransus* quoque atque *potus* diversum valent, quam indicant. Quid quod multa verba non totum declinationis ordinem ferunt? Quædam etiam mutantur, ut *fero* in præterito. Quædam tertiæ demum personæ figura dicuntur, ut *licet*, *piget*. Quædam simile quiddam patiuntur vocabulis in adverbium transeuntibus. Nam ut *noctu* & *diu*, ita *dictu* & *factu*. Sunt enim hæc quoque verba participialia quidem, non tamen qualia *dicto*, *factoque*.

CAP. V.

¹ Tenentur.] Mss. *terentur*.

² Nam & quædam.] Viderur appellare appellationes verbi, nomina à verbis deducta: nam *lectus* & *sapiens* interdum participia sunt, quando habent casum verbi sui: interdum nomina, quando alium à verbo casum habent. Possset etiam fortassè hoc præceptum intelligi de verbo. nam *lectus est*, etiam verbum est: & *nutritor olivam*, apud Verg. Ita verbum erit simile appellationi. *Turnebus*.

³ An verbi.] Si de verbis intelligas, lege, *an verba sint, dubitari potest*. *Idem*.

⁴ *Fraudator*, *nutritor*.] Alii *fronda- tor*, *vinitor*.

⁵ Nam quod initium.] *Eoy* & *Fleor*

non dicitur. illud autem, *Panditur domus*, non admodum dissimile est tertii modi exemplis, nisi fortasse hoc generalius dictum accipiat. *Turbatur* vero per se dictum impersonaliter vides, ut ibidem, *Bellatur comminus arvis*. *Camerar*.

⁶ Est etiam quidam tertius.] Primus modus verbum habet impersonale, cujus thema non extat, cum sit neutrum. Alter verbum habet impersonale, cujus thema passivum est in usu. Tertius verba habet neutralia, quæ personaliter tamen interdum usurpantur in passivo. *Turneb.*

⁷ *Pransus*.] Significat enim alterum eum qui prandit: alterum, qui potavit. *Camerar*.

C. 3 I Nunc

De virtutibus & vitiis orationis.

9 ¹ Jam cum omnis oratio tres habeat virtutes, ut *emendata*, ut *dilucida*, ut *ornata* sit (quia dicere apte, quod est præcipuum, plerique ornatui subjiciunt) totidem vitia, quæ sunt supradictis contraria, emendate loquendi regula, quæ grammatices prior pars est, examinet. Hæc exigitur verbis aut singulis aut pluribus. ² Verba nunc generaliter accipi volo: nam duplex eorum intellectus est: alter, qui omnia per quæ sermo necitur, significat, ut apud Horatium:

Verbaque provisam rem non invita sequentur.

Alter, in quo est una pars orationis, *lego*, *scribo*. Quam vitantes ambiguitatem quidam dicere maluerunt, *voces*, *dictiones*, *locutiones*. Singula sunt aut nostra, aut peregrina: aut simplicia, aut composita: aut propria, aut translata: aut usitata, aut ficta. ³ Uni verbo vitium sæpius quam virtus inest. Licet enim dicamus aliquid proprium, speciosum, sublime, nihil tamen horum nisi in complexu loquendi serieque contingit. Laudamus enim verba bene rebus accommodata: sola est quæ notari possit velut ⁴ *vocalitas*, quæ *ὀφωρία* dicitur: cujus in eo delectus est, ut inter duo quæ idem significant, ac tantundem valent, quod melius sonat, malis.

Prima

¹ Nunc Fabius, de oratione tradit: cuius cum sint tres virtutes, de prima tamen emandata locutione hoc loco duntaxat aget. nam hæc pars ad grammaticum spectat: cæteræ autem dux ad rhetorem. itaque de illis Fabius lib. 3. aget. Addit & hoc capite orationis emendatæ vitia, *barbarismum* & *solæcismum*, ac utriusque species persequitur. Turneb.

² Verba nunc.] Prodiorisnum addit, ne homonymia lectorem deciperet. Idem.

ret. Idem.

³ Uni verbo.] Verba simplicia si per se consideres, unam hanc habebunt virtutem, quam appellat *Euphoniā*. Plurima tamen vitia seorsum habere possunt. nam quædam sunt obscœna, quædam sordida, quædam humilia, quædam barbara. Idem.

⁴ Vocalitas.] *Vocalitatem* appellat Fab. suavem quandam plenamque ex ore pronunciantis auribus nostris insidentem nominis appellationem. Idem.

I Prima

1 Prima barbarismi ac 2 solæcismi scæditas absit. 3 Sed quia interim excusantur hæc vitia aut consuetudine, aut auctoritate, aut vetustate: aut denique vicinitate virtutum (nam sæpe à figuris ea separare difficile est) 4 ne quem tam lubrica observatio fallat, acriter se in illud tenue discrimen grammaticus intendat, de quo nos latius ibi loquemur, ubi de figuris orationis tractandum erit. Interim vitium quod fit in singulis verbis, sit barbarismus. Occurrat mihi forsitan aliquis, quid 5 hic promisso tanti operis dignum? aut quis hoc nescit, alios barbarissimos scribendo fieri, alios loquendo? quia quod male scribitur, male etiam dici necesse est: quæ vitiose dixeris, non utique & scripto peccant: 6 Illud prius adjectione, detractioe, immutatione, transmutatione: hoc secundum, divisione, complexione, aspiratione, 7 sono contineri? 8 Sed ut parva sint hæc, pueri docentur adhuc: & grammaticos officii sui commonemus. Ex quibus si quis erit plane impolitus, & vestibulum modo artis hujus ingressus, intra hæc quæ profitentium commentariolis vulgata sunt, consistet: doctiores multa adjicient: vel hoc primum, quod barbarissimum

1 Prima barbarismi.] Barbarissimus est in vitiosa dictione: Solæcismus in collocatione inemendata. Idem. Barbarissimus scæditas.] Videatur Isidorus Orig. lib. 1. cap. 3. r. p. 842. Joh. Lud. Strebæus Remensis, de Elect. & Colloc. Verb. lib. 1. c. 12. p. 59. Lud. Cresollus, Vacat. Aulumnal. lib. 2. p. 347.

2 Solæcismi.] Agell. lib. 5. cap. 20. Epist. ad Clodium Tuscum, Solæcismus est, inquit, impar & inconueniens compositura partium orationis. Veteres Latini Stribliginem appellarunt, Asinius imparilitatem dicere solitus. Dicebatur etiam Solæcismus, omnis inconueniens actio. Videatur Isidorus Orig. lib. 1. cap. 32. p. 842. And. Schotti Tusc. Quæst. lib. 5. p. 64. & seqq.

3 Sed quia.] Barbarissimus & solæcismus apud poetas excusantur, ac certe pene pro virtutibus habentur, ac tum no-

mina mutant, appellanturque metaplasmis & schematismis. Turneb.

4 Ne quem tam lubr. obs. fallat.] Fallere est λωθάνειν hic elegancia prisca ac Romana. Fab. lib. 8. cap. 2. & 1. 6. c. 4. Tum lib. 9. cap. 10. Longius fortasse progredior, fallente transitu. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 14.

5 Hic promissor tanti operis.] Alludit ad illud Horatii De arte Poët. vs. 138. &c. Vide Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 14. p. 46.

6 Illud prius.] Hoc est vitium scriptiois, ut si quis scribat, leggo, beibo, pro lego, bibo. &c. Camerar.

7 Sono.] Per sonum intelligit tons & accentus: quanquam etiam ea intelligit vitia quæ fiunt per iotacismum, lambdacismum. Turneb.

8 Sed parva.] Solutio anthyphora. Idem.

nam pluribus modis accipimus. ¹ Unum *gente*, quale fit si quis *Afrum* vel *Hispanum* Latinae orationi nomen inferat: ut ² *ferrum* quo rotæ vincuntur, dici solet *canthus*, quanquam eo tanquam recepto utitur Persius. sicut Catullus ³ *ploxenum* circa Padum invenit: & in oratione Labieni, sive illa Cornelii Galli est, in Pollionem *casnar* ⁴ affectator è Gallia ductum est. ⁵ nam *mastrucam*, quod Sardum est, illudens Cicero ex industria dixit. ⁶ Alterum *genus barbarismi* accipimus, quod fit animi natura, ut is à quo insolenter quid aut minaciter aut crudeliter dictum sit, barbare locutus existimetur. Tertium est illud vitium barbarismi, cujus exempla vulgo sunt plurima, sibi etiam quisque fingere potest, ut verbo cui libebit adjiciat literam syllabamve, vel detrahat, aut aliam pro alia, aut eandem alio quam rectum est loco ponat. Sed quidam fere in jactationem eruditionis sumere illa ex poetis solent: & auctores quos ⁷ prælegunt, criminantur. Scire autem debet puer, hæc apud scriptores carminum aut venia digna, aut etiam laude duci: potiusque illa docendi erunt minus vulgata. nam duos in uno nomine faciebat barbarismos ¹ *Tinca* Placentinus (si reprehendenti

¹ *Unum in gente.*] Donatus quoque *barbarismum* separat à barbaralexi. est enim *barbaralexis*, quando peregrino verbo utimur ut Hispano aut Gallico. *Barbarismus* autem Latina quidem est dictio, sed tamen vitiosa. *Idem.*

² *Ferrum quo rotæ vincuntur, dici solet canthus.*] Utitur hoc vocabulo tanquam recepto, Persius Sat. v. vers. 71. Vide Casaubon. ad hunc Persii locum, p. 403. &c. *Canthus.*] Videtur innuere Fab. *Canthum* esse dictionem *Hispanicam*. Hæc tamen Homerus in *Iliade* est usus. *Idem.*

³ *Ploxenum.*] Alii *Ploxenum* scribunt, atque ita reperitur in codicibus Catulli. Festus vero Pomp. appellat *ploximum*, & capsam interpretatur. *Idem.*

⁴ *Affectator.*] Appellat puellam, inquit Ulpianus, qui blanda oratione il-

lius pudicitiam attentat. *Affectatur* vero, qui facitus eam assidue insequitur ut tandem potiatur. inde *affectator* dicitur. *Idem.*

⁵ *Nam mastrucam, &c.*] Pro Scauro. Quem purpura lis non commovit, cum Sardorum mastrucea mutavit. *Pitheus.* *Mastrucam.*] Ex oratione pro Scauro, quæ nunc non existat, hunc locum citant, & de provinciis consularibus *mastrucatos latrunculos* dicit. *Camerar.* *Nam Mastrucam, &c.*] Vide Domit. Calderin. lib. 3. Observat. in Lamp. Crit. part. 1. pag. 316. &c.

⁶ *Alterum genus.*] Hominem crudelem Græci solent & Latini *barbarum* appellare: unde *barbarismus* pro crudelitate dicitur, ut *phalarismus*. *Turneb.*

⁷ *Prælegunt.*] *Prælector.* Vide Gell. lib. 18.

1 *Tinca*

hendenti Hortensio credimus) *preculam* pro ² *pergulam* dicens: & immutatione, ³ cum *c* pro *g* uteretur: & transmutatione, cum *r* præponeret *e* antecedenti. At in ⁴ eadem vitii geminatione ⁵ *Metieo Suffetieo* dicens Ennius, poëtico jure defenditur.

Sed in prosa quoque jam est quædam recepta immutatio. Nam Cicero ⁶ *Canopitarum* exercitum dicit, ⁷ ipsi *Canobon* vocant. & ⁸ *Tharsomenum* pro *Thrasumeno* multi auctores etiam si est in eo transmutatio, vendicaverunt: similiter alia. nam sive est falsum, ⁹ *assentior*, ¹⁰ *Sifenna* dixit ¹¹ *assentio*, multique & hunc & ¹² analogiam secuti. sive illud verum est, ¹³ hæc quoque pars consensu defenditur. At ille

1 *Tinca Placentinus.*] *Tinca* meminit Cic. in Bruto, eumque dixit fuisse factum admodum, sed tamen dicacitate Granio imparem. nomen fortitur à *tinca pisce*. Turneb. *Tinca Placentinus.*] Meminit hujus *Tinca* Cicero in Catalogo Claror. Oratorum, ubi facetissimum hominem dicit fuisse.

2 *Pergulam.*] Locus est columnis sustentatus ante ædes, vel omnibus vel pluribus lateribus liberæ auræ expositus, in quo deambulare veteres solebant.

3 *Cum c pro g uteretur.*] Aufon. *Gammæ vice junctæ prius C.* Festus in Orcum & in Prodigia. *Pithæus.*

4 *Eadem vitii.*] Id est, bis eodem modo vitiose dicens. *Camerar.*

5 *Metieo.*] *Metius* & *Suffetius* apud antiquos per diphthongum scribebantur, quam Ennius mutavit in monophthongum è, & ipsam diphthongum rejecit in penultimam. *Cic. in Brut.* Turn.

6 *Canopitarum.*] *Canobos* solebat scribi, teste Strabone l. 17. At Plinius *Canopum* vocat; civitas est, sortita nomen à Canopo quodam qui illic sit mortuus: cives *Canopitæ* dicti sunt, ut notat Mosellanus.

7 *Ipsi Canobon.*] Servius à *Canobo* Menelai gubernatore dicit appellatum

esse ostium Nili & oppidum Ægypti, mutata una litera, ut dicatur *Canopum*. Strabo tamen semper appellat *Canobum*. Turneb.

8 *Tharsomenum.*] Valla legendum purat hoc loco *Thrasumenum*: quæ lectio verior etiam videtur, cum duntaxat sit transmutatio, ut ait Fab. *Idem. Tharsomenum.*] Mosellanus *Thrasimenum* legendum opinatur: loci est nomen in Umbria, Apuliæ regione, ubi Romani quondam infeliciter pugnarunt.

9 *Assentior.*] *Sentior.* Vide Gel. l. 2. cap. 25.

10 *Sifenna.*] Lucius Sifenna: vir doctus, & studiis optimis deditus, gnarus Reipub.

11 *Assentio.*] Vide Varron. lib. 8. de ling. Lat.

12 *Analogia.*] Analogia est similis similibus declinatio, quam quidam Latine *proportionem* vocant. Agellius lib. 2. cap. 25.

13 *Hæc quoque pars, &c.*] Olim duntaxat *assentior* dicebant. Primus Sifenna historicus & idem orator in senatu dixit *assentio*, ac post Sifennam Cic. aliique optimi auctores *assentio* etiam usurparunt. Innuit itaque Fab. utrunque esse in usu. Turneb.

ille pexus pinguisque doctor, aut illic detractionem, aut hîc adjectionem putabit. Quid quod quædam quæ singula proculdubio vitiosa sunt, juncta sine reprehensione dicuntur? Nam & *dua* & *tre* & pondo diversorum generum sunt barbarissimi: at *dua* pondo & *tre* pondo, usque ad nostram ætatem ab omnibus dictum est, & recte dici Messala confirmat. Absurdum forsan videatur dicere, barbarissimum, quod est unius verbi vitium, fieri per numeros, aut genera, sicut solæcissimum: ² *scala* tamen & *scopa*, contraque ³ *hordea* & *mulsa*, licet literarum mutationem, detractionem, adjectionem non habeant, non alio vitiosa sunt, quam quod pluralia singulariter, & singularia pluraliter efferuntur: & ⁴ *gladia* qui dixerunt, genere exciderunt. Sed hoc quoque notare contentus sum, ne arti culpa quorundam pervicacium perplexæ, videar & ipse quæstionem addidisse. Plus exigunt subtilitatis quæ accidunt *in dicendo* vitia, quia exempla eorum tradi scripto non possunt, nisi cum in versus inciderunt, ut *διδάσκεις* *Ἰετροπαί*: & ei contrarium vitium, quod *συνείρεσιν* & *συναλοιφῶν* Græci vocant, nos *complexionem* dicimus: qualis est apud P. Varronem:

Cum te flagranti dejectum fulmine Phæton.

Nam

¹ *Trepondo.*] His quoque dictionibus utitur Scribonius Largus frequenter in lib. de compositionibus medicamentorum. *Idem. At dua pondo & tre pondo.*] Horum rationem investigavimus lib. 1. de pecun. vet. cap. 7. Gronovius.

² *Scala tamen & scopa.*] Servius annotat, nomina ea quæ pluribus rebus constant, singulari carere. Annotat Donatus, ea nomina quæ pertinent ad numerum, pondus, mensuram, plurali carere. Turneb. *Scala tamen, &c.*] Romanus Aquila, malo ascensum quam scalam aut gradiculos, ut quidam, dixerit. Varro 2. de analog. Diomedis. Servius in Donat. *Pithæus.*

³ *Hordea.*] Quæ ponderi vel mensura

subjecta sunt pluraliter non declinantur, ut triticum, frumentum, oleum, aurum, argentum, plumbum; in hujusmodi enim quæ sub mensuram ac pondera potius quam sub numerum succedunt, cum incrementum accessit per multum enuntiatur. Dicimus enim, multum oleum, & multum plumbum, non multa olea, plumba, &c. Quandoque tamen pluralem numerum sibi vindicant. Nam dicimus vina, mella, Ciceronis exemplo. Ordea Virg. dixit. *Musta* Ovid. & hoc libro Fabius: *musta austera. Idem.*

⁴ *Gladii.*] Valla tamen ex Varrone annotat *gladium* in neutro genere dici. Turneb.

I Par-

Nam si esset proſa oratio, eaſdem literas enunciare veris ſyllabis licebat. Præterea quæ fiunt ſpacio, ſive cum ſyllaba correpta producitur, ut,

Italiam fato profugus ---

Seu longa corripitur: ut, *Unius ob noxam & furias* - extra carmen non deprehendas. ſed nec in carmine vitia ducenda ſunt. Illa vero non niſi aure exiguntur, quæ fiunt per ſonos: quanquam per aſpirationem, ſive adjicitur vitioſe, ſive detrahitur, apud nos poteſt quæri an in ſcripto ſit vitium, ſi H litera eſt, non nota. cujus quidem ratio mutata cum temporibus eſt ſæpius. ¹ Parciffime ea veteres uſi etiam in vocalibus, cum *ædos, ircoſque* dicebant. Diu deinde ² ſervatum ne conſonantibus aſpiraretur, ut in Græcis, & ³ *triumpis*. Erupit brevi tempore nimius uſus, ut *choronæ, chenturiones, præchones* adhuc quibuſdam inſcriptionibus maneat. ⁴ qua de re Catulli nobile epigramma eſt. Inde durat ad nos uſque *vehementer, & comprehendere, & mihi*: nam *mehe* quoque pro me apud antiquos tragædiarum præcipue ſcriptores in veteribus libris invenimus. ⁵ Adhuc difficilior obſervatio eſt per *tenores*, quos quidem ab antiquis dictos *tonores* comperi, ut videlicet declinato à Græcis verbo, qui *τόνος* dicunt: vel accentus, quas Græci *ωσωνόδιας* vocant, cum acuta & gravis alia pro alia ponitur, ut in hoc ⁶ *Camillus*, ſi acuitur prima. Aut gravis pro fle-

xa,

¹ *Parciſſime.*] Vid. Angel. Politian. obſervat. cap. 19.

² *Servatum.*] *Reſervatum, obſervatum* Cic. in Orat.

³ *Triumpis.*] Videatur Ang. Politianus Miſcellan. cap. 19. p. 32. &c.

⁴ *Qua de re Catulli nobile Epig.*] Politianus putat citari hoc Epigr. de Arrio 1. xxxv. *Chommoda dicebat, ſi quando comoda vellet Dicere, & hiſſidias, Arrius inſidias, &c.* *Qua de re Catulli.*] Uſque adeo refugit aſpirationem conſonantium lingua Latina, ut Græcis etiam dictionibus veteres detraxerint. Quin & ego ipſe cum ſcirem ita majores lo-

cutos eſſe, ut nuſquam niſi in vocali aſpiratione uterentur, loquebar ſic, ut *pulcros, triumphos & Cartaginem* dicerem aliquando, idque ſero, convitio aurium, cum mihi extorta veritas eſſet, uſum loquendi populo conceſſi, ſcientiam mihi reſervavi. *Cameras.*

⁵ *Adhuc difficilior.*] *Profodia* proprie ſignificat, notam quandam dictionis & pronunciationis moderationem: dividiturque in *tonum, ſpiritum, tempus, paſſionem*. Hic tamen à Quintiliano uſurpatur pro tono. *Turneb.*

⁶ *Camillus.*] Syllaba quæ accentum non habet acutum aut circumflexum, habet

xa, ut *Chetegus*, & hęc prima acuta: nam sic media mutatur. ¹ Aut flexa pro gravi, ut apici circumducta sequente, quam ex duabus syllabis in unam cogentes, & deinde flectentes, dupliciter peccant, sed id sæpius in Græcis nominibus accidit: ut ² *Atrōs*. quem nobis juvenibus doctissimi senes acuta prima dicere solebant, ut necessario secunda gravis esset. Item *Τερεϊ*. *Nerēique*. Hęc de accentibus tradita. ³ Cæterum jam scio quosdam eruditos nonnullos etiam grammaticos sic docere ac loqui, ut propter quædam vocum discrimina, verbum interim acuto sono finiant, ut in illis,

Quæ circum littora, circum Piscosos scopulos ---

Ne si gravem posuerint secundam, *circus* dici videatur, non *circuitus*. Item *quantum, quale*, interrogantes, gravi: comparantes, acuto tenore concludunt: quod tamen in adverbis fere solis ac pronomibus vindicant, in cæteris veterem legem sequuntur. Mihi videtur conditionem mutare, quod his locis verba jungimus. Nam cum dico, *circum littora*, tanquam unum enuncio, dissimulata distinctione: itaque tanquam in una voce, una est acuta: quod idem accidit in illo,

Troja qui primus ab oris.

Evenit ut metri quoque conditio mutet accentum: ut,

Pecudes picteque volucres.

Nam *volucres* media acuta legam: quia etsi natura brevis, tamen

habet gravem. Penultima autem si longa est, semper habet acutum aut circumflexum: acutum quidem, si longa est positione, aut si longa est natura, & ultima etiam longa: circumflexum vero, si natura longa est, & ultima brevis. *Idem.*

¹ *Aut flexa pro gravi.* Quidam eam syllabam quæ gravari deberet circumflectunt, ac insuper *sinæresin* faciunt: ut si quis hoc nomen *Balteus*, ut dissyllabum pronuntiaret, & ultimam syllabam circumflecteret, dupliciter peccaret,

tum quod duas syllabas in unam misceret, tum quod male accineret. Hoc tamen vitium potius fieri solet in Græcis dictionibus. *Idem.*

² *Atrous.* Hęc dictiones Græcæ apud Græcos acunt ultimam, apud Latinos penultimam. igitur in obliquis si quis *Atræi* ultimo loco circumflecteret, & duas syllabas in unam confaret, peccaret. *Idem.*

³ *Cæterum.* Hodie quoque differentia causa, solent adverbia, præpositiones, pronomina acuere ultimo loco. *Idem.*

1 Jam-

tamen positione longa est, ne faciat ¹ jambum, quem non recipit versus heroicus. Separata verò hæc, à præcepto nostro non recedent: aut si consuetudo vicerit, vetus lex sermonis abolebitur: cujus difficilior apud Græcos observatio est, (quia plura illis loquendi genera, quas ² *Διαλέκτους* vocant: & quòd aliàs vitiosum, interim aliàs rectum est) apud nos verò rectissima ratio, ac etiam brevissima. ³ Namque in omni voce, *acuta* intra numerum trium syllabarum continetur, sive hæc sint in verbo solæ, sive ultimæ: & in his aut proxima extremæ, aut ab ea tertia. ⁴ Trium porro de quibus loquor, media longa, aut acuta, aut flexa erit: ⁵ eodem loco brevis, utique gravem habebit sonum: ideoque positam ante se, id est ab ultima tertiam, acuet. ⁶ Est autem in omni voce utique acuta, sed nunquam plus una: nec ultima unquam: ideoque in dissyllabis prior. Præterea nunquam in eadem, flexa & acuta, quoniam eadem flexa ex acuta. itaque neutra claudet vocem Latinam. Ea vero quæ sunt syllabæ unius, ⁷ erunt acuta aut flexa,

¹ *Jambum.*] Alioqui enim esset versus miulus. *Idem.*

² *Διαλέκτους.*] *Dialectus* idioma est & linguæ proprietates, quæ peculiarem quamdam habet phrasim & pronuntiationem. itaque cum apud Græcos accentuum ratio sit difficilis, difficultatem tamen addit idiomatum varietas. nam cum *Pelæus* & similia nomina lingua communi & Attica ultimam acuunt, tamen lingua Æolica penultimam acuunt. *Turneb.* *Quas διαλέκτους.*] Nemo fere est, qui ignoret Græcæ linguæ omnibus communem nationis illius hominibus usum, quatuor differentiis fuisse variatum, duas *διαλέκτους* dixerunt: *Attica*, *Ionica*, *Dorica* & *Æolica*. Sed sub his ipsis quasi generibus, multæ diversitates inveniuntur, quatenus non modo per gentes, sed civitates etiam, & oppida & vicos non eodem modo locuti fuere. *Camerar.*

³ *Namque.*] Aldus legit: *Nam quod.*

⁴ *Trium porro.*] Dictione quæ habet penultimam longam, si naturaliter longam habet, ultima brevi circumflectetur, alioqui acuetur. *Turneb.*

⁵ *Eodem loco.*] Dictione quæ tres saltem habet syllabas, si penultimam brevem habebit, eam gravabit, & antepenultimam acuet: sin autem sit dissyllaba, acuet penultimam. *Idem.*

⁶ *Est autem.*] Hoc præceptum intelligi debet de dictionibus dissyllabis aut polysyllabis. illæ enim nunquam terminantur accentu acuto aut circumflexo. Quod autem ait Fabius, omnem dictionem habere accentum acutum, ita intelligendum est, quia cum omnis dictione aut acuatür aut circumflectatur, circumflexus tamen accentus fit ex acuto, & ut acutus syllabam quoque elevat. *Idem.*

⁷ *Erunt acuta aut.*] Dictione monosyllaba, si est natura longa, circumflectitur, ut *cos*, *ros*: alioqui acuitur, ut *grex*. *Idem.*

flexa, ne sit aliqua vox sine acuta. ¹ Et illa per sonos accidunt, quæ demonstrari scripto non possunt, vitia oris & linguæ: ² *ιωτακισμὸς*, & *λαμβδαικισμὸς*, *ιχνοτήτες* & *πλάσειασμὸς*, feliciores fingendis nominibus Græci vocant: sicut ³ *κοιλοσομίαν*, cum vox quasi in recessu oris ⁴ auditur. Sunt etiam proprii quidam & inevitabiles soni, quibus nonnunquam nationes reprehendimus. Remotis igitur omnibus quæ supra diximus vitiis, erit illa quæ vocatur *ὀρθόπειρα*, id est emendata cum suavitate vocum explanatio. nam sic accipi potest recta. ⁵ Cætera vitia omnia ex pluribus vocibus sunt, quorum est *solæcismus*: quanquam circa hoc quoque disputatum est. ⁶ nam etiam qui contextu vel complexu orationis accidere eum confitentur, quia tamen unius emendatione verbi corrigi possit, in verbo esse vitium, non in sermone contendunt: cum sive ⁷ amaræ corticis, seu medio cortice, per genus facit solæcismum. quorum neutrum quidem reprehendo, cum sit utriusque Virgilius auctor. Sed fingamus utrumlibet non recte dictum: mutatio vocis alterius in qua vitium erat, rectam loquendi rationem sic reddit, ut amari corticis fiat, vel media cortice. ⁸ quod manifestæ calumniæ est: neutrum enim vitiosum

¹ Et illa per.] Cum quid plus æquo aut minus sonat, collisiones & hiatus *ιχνοτήτες*, & *πλάσειασμὸς* dixit. *Camerar.*

² *ιωτακισμὸς*.] *Iotacismus* est, quando *i*, nimium pronunciat, & indecore: quod vitium ut vitarent Latini, interdum duplex *ii* pro uno pronunciant. *Turneb.*

³ *Κοιλοσομίαν*.] Hoc vitium videtur appellare Quintil. *κωλοπεπλάσειασμῶν* in capite de pronuntiatione, cum vox scilicet in intimis faucibus auditur, & in oris inanitate resonat. *Idem.*

⁴ *Auditur*.] Dividitur.

⁵ *Cætera vitia*.] *Solæcismus* vitium est in contextu orationis contra grammatices regulam, in poemate tamen excusatur, & appellatur *Schema*. addi-

tur & *solæcophanes*, quod solæcismum præ se ferre videtur, cum tamen non sit solæcismus. ut, in *Eunuchum suam*, apud Terentium. *Turneb.*

⁶ Nam etiam qui contextu vel complexu orat.] Vide Jan. Gebhard. *Crepund.* lib. 2. cap. 1. pag. 56.

⁷ *Amaræ corticis*.] Donatus & Diomedes *solæcismum* esse putant, si quis corticem in fæminino usurpet: cuius tamen est auctor Verg. *Turnebus.*

⁸ Quod manifestæ calumniæ est.] Videlicet in verbo esse solæcismus, non in sermone. Nam neque per se *amaræ*, nec *amaro*: neque *corticis* neque *cortice* reprehendi potest; sed constructio fuerit vitiosa, cum sit peccatum in genere. *Camerar.*

tiosum separatum est, sed compositione peccatur, quæ jam sermonis est. ¹ Illud eruditius quæritur, an in singulis quoque verbis possit fieri solæcismus: ut si unum quis ad se vocans, dicat: *venite.* aut si plures à se dimittens, ita loquatur, *Abi.* aut, *Discede.* Necnon cum responsum ab interrogatione dissentit: ut si dicenti, *Quem video?* ita occurras, *Ego.* ² In gestu etiam nonnulli putant idem vitium inesse, ³ quum aliud voce, aliud nutu vel manu demonstratur. Huic opinioni neque omnino accedo, neque plane dissentio. nam id fateor posse accidere voce una, non tamen aliter, quam si sit aliquid quod vim alterius vocis obtineat, ad quod vox illa referatur: ut *solæcismus* ex complexu fiat eorum quibus res significantur, & voluntas ostenditur. Atque ut omnem effugiam cavillationem, fit aliquando in uno verbo, ⁴ nunquam in solo verbo.

Per quot autem & quas accidat species, non satis convenit. Qui plenissime, quadripertitam volunt esse rationem, nec aliam quam barbarismi: ut fiat adjectione: ut, *Veni de Susis in Alexandriam.* Detractione, *Ambulo viam, Ægypto venio, Ne hoc fecit.* Transmutatione, qua ordo turbatur, *Quoque ego, Enim hoc voluit, Autem non habuit.* ⁶ Ex quo

¹ *Illud eruditius.*] Quædam sunt, quæ cum verbis simplicia sint, tamen intellectu sunt composita: ut *salutationes, demonstrationes, interrogationes, & alia pleraque.* Itaque in illis tamen verbum unum ponitur, vicem tamen multorum supplet. *Solæcismus* igitur illic fit, non *barbarismus.* Turneb.

² *In gestu.*] Lucillius lib. 2. Epigrammatum dicit rhetora Flaccum manus nutu *solæcismum* commisisse, quin & Polæmon sophista Tragedum dicit manu *solæcismum* fecisse, quod cum Jovem exclamaret, terram inspexisset: cum terram, cælum suspexisset. Turneb.

³ *Quum aliud voce.*] Ut si illud Terentianum: *O cælum, ô terra;* ita pronuntiatum sit, ut manus in priore dejecteretur, in altero sustolleretur. *Camerar.*

Vide Cæl. Rhodigin. lib. 20. cap. 25. *Quum aliud voce, aliud nutu vel manu d.* τῆ χειρὶ ἐσολόκιζεν. *Pithæus.*

⁴ *Nunquam in solo verbo.*] Quanquam *solæcismus* in una dictione fieri videtur, ut in interrogationibus: nunquam tamen illa dictio est sola, quia aliæ subintelliguntur. atque ita Fabius propositam quæstionem solvit, ut evitet sophistarum cavillationes. Turneb.

⁵ *Susis.*] *Susa* in plurali significat oppidum Persidis, in quo erat regia regum Persarum. *Idem.*

⁶ *Ex quo genere.*] Apud Ciceronem *igitur* modo præponitur, modo postponitur. quidam tamen postponendum semper esse ajunt, atque ita semper utuntur. *Horum igitur judicio, igitur* si præponatur, *solæcismus* exit. *Idem.*

1 Hæc

quo genere an sit igitur, in initio sermonis positum, dubitari potest, quia maximos auctores in diversa fuisse opinione video, cum apud alios sit etiam frequens, apud alios nunquam reperiatur. ¹ Hæc tria genera quidam diducunt à solæcismo, & *adjectionis vitium*, *πλεονασμὸν*: *detractio- nis*, *ἔκθεσις*: *inversionis*, *ἀναστροφῆ* vocant: quæ si in speciem solæcismi cadant, ² *ὑπέρθετον* quoque appellari eodem modo posse. *Immutatio* sine controversia est, cum aliud pro alio ponitur. Id per omnes orationis partes deprehendimus, frequentissime in verbo, quia plurima huic accidunt, ideoque in eo fiunt *solæcismi* per genera, tempora, personas, modos, sive cui *status* eos dici, seu *qualitates* placet, ³ vel *sex*, vel (ut alii volunt) ⁴ *octo*: nam totidem vitiorum erunt formæ, in quot species eorum quidque de quibus supra dictum est, diviseris. Præterea numeros, in quibus nos singularem ac pluralem habemus, Græci & *διῆξι*. Quanquam fuerunt qui nobis quoque adjicerent dualem, ⁵ *scripsere*: *legere*: quod evitandæ asperitatis gratia mollitum est, ut apud veteres pro *male mereris*, *male merere*. ideoque ⁶ quod vocant *duale*, in illo solo genere consistit, cum apud Græcos & in verbi tota fere ratione, & in nominibus deprehendatur, & sic quoque ⁷ rarissimus ejus sit usus, apud nostrorum vero neminem hæc observatio reperiatur: quin è contrario,

Deve-

¹ *Hæc tria genera.*] Donatus *solæcismum* in duas partes dividit, in partium mutationem, & accidentium immutationem. *adjectionem* vero, *detractio- nem*, & *inversionem* tropis & schematibus annumerat. cujus opinionem sequitur etiam Diomedes. *Idem.*

² *ὑπέρθετον.*] *Anastrophe* ab *hyperbato* differt, quia in paucis est dictionibus, quarum ordo invertitur: *Hyperbaton* autem transgressionem verborum habet prolxiorem. *Idem.*

³ *Vel sex, vel ut alii volunt octo.*] Diomedes: Modos quinque esse, omnes fere Grammatici consentiunt. *Pithæus,*

⁴ *Octo.*] Nam ponunt *indicativum*, *imperativum*, *interrogativum*, *permisivum*, *optativum*, *promissivum*, *conjunctivum*, *infinitivum*. Turneb.

⁵ *Scripsere.*] Veteres Latini (ut scribit Diomedes) *numerum dualem* contempserunt: quo etiam olim Græcia caruit. Postea tamen à Græcis inventus est, cum alioqui non esset necessarius. *Idem.*

⁶ *Quod vocant duale.*] Neque Æolica neque communis apud Græcos lingua dualem habet. *Pithæus.*

⁷ *Rarissimus.*] Nam interdum *plurali* pro *duali* utuntur Græci. Turneb.

I Dixerit

¹ *Devenere locos* : & , ² *Conticuere, omnes* : & , ³ *Consedere duces*, aperte nos doceant, nihil horum ad duos pertinere: ⁴ *Dixere* quoque, quanquam id Antonius Rufus ex diverso ponit exemplum, de pluribus patronis præco pronunciet. Quid? non Livius circa initia statim primi libri, *Tenuere*, inquit, *arcem Sabini*? & mox, *In adversum Romani subiere*? Sed quem potius ego quam M. Tullium sequar? qui in Oratore, *Non reprehendo*, inquit scripsere: *scripserunt esse verius sentio*. ⁵ Similiter in vocabulis & nominibus fit *solæcismus* genere, numero, proprie autem casibus. Quicquid eorum alteri ⁶ succedet, huic parti subjungatur licet, per comparationes & superlationes: itemque in quibus ⁷ *patrium* pro pro possessivo dicitur, vel contra. ⁸ Nam vitium quod fit per quantitatem, ut *magnum peculiolum*, erunt qui *solæcismum* putent; quia pro nomine integro positum fit diminutum. Ego dubito an id *improprium* potius appellem: significatione enim deerrat. *Solæcismi* porro vitium non est in sensu, sed in complexu. In participio, per genus, & casum, ut in vocabulo: per tempora, ut in verbo: per numerum, ut in utroque, peccatur. Pronomen quoque genus, numerum, casus habet, quæ omnia recipiunt hujusmodi

¹ *Devenere.*] Virgil. Æneid. 2. & 6.

² *Conticuere.*] Æneid. 2.

³ *Consedere.*] Ovid. Metam. 13.

⁴ *Dixere quoque.*] Olim in foro perorata utrinque causa, pronunciabat præco, *dixere*. quod etiam de pluribus advocatis, qui per sæpe unam causam defendebant, dicebatur, cum tamen interdum essent duo tantum patroni, ac præco pronuntiaret, *dixere*. Antonius Rufus, cujus Macrobius in Satur. meminit, ex hoc ipso probare nitebatur dualem numerum. Turneb.

⁵ *Similiter in vocabulis.*] *Solæcismus* in nomine committitur, cum accidentia ejus immutantur: ut *numerus pro numero, casus pro casu*. itaque quodcumque accidens pro alio ponitur, *solæcismus* erit. Idem.

⁶ *Succedit.*] Id est, quicquid eorum unum pro altero ponitur. *Camerar.*

⁷ *Patrium.*] *Patrium* vocat Priscianus nomen patriæ. Hic tamen latius accipitur pro nomine primitivo, à quo derivatur possessivum: ut *Dardanus* apud Verg. pro *Dardanius*. Turneb. *Patrium.*] Venit in mentem *primitivum* rectius legi posse & in proclivi fuisse hanc mutationem: sed nolui non consentientibus codd. *Patrium* autem nomen Grammatici vocant, in quo patriæ significatio inest: sicut *gentile*, in quo gentis, ut *Romanus*, *Atheniensis*. *Camerar.*

⁸ *Nam vitium quod.*] Quando parvum pro magno, aut diminutum pro integro ponitur, est species *acyrologiæ*, non *solæcismi*. non enim est *solæcismus* in sententia, sed in verbis. Turneb.

iusmodi errorem. ¹ Fiunt *solæcismi*; & quidem plurimi, per partes orationis: sed id tradere fatis non est: ne ita demum vitium esse credat puer, si pro alia ponatur alia: ut *verbum*, ubi nomen esse debuerit: ² vel *adverbium*, ubi *pronomen*, & similia. Nam sunt quædam cognata, ut dicunt, id est ejusdem generis, in quibus qui alia specie quam oportet utetur, non minus quam ipso genere permutato deliquerit. Nam & *an*, & *aut*, conjunctiones sunt: male tamen interrogas, *hic*, *aut ille sit*. Et *ne ac non*, adverbia: qui tamen dicat pro illo, *Ne feceris*, *Non feceris*, in idem incidat vitium: quia alterum negandi est, alterum vetandi. Hoc amplius *intro & intus*, loci adverbia: *Eo tamen intus*, & *Introsum*, *solæcismi* sunt. Eadem in diversitate pronominum, interjectionum, præpositionum, accidunt. ³ Est enim *solæcismus* in oratione comprehensionis unius sequentium ac priorum inter se inconueniens positio. ⁴ Quædam tamen & faciem *solæcismi* habent, & dici vitiosa non possunt: ut *tragædia Thyestes*, & ⁵ *ludi Floralia ac Megalesia*: quamquam hæc sequenti tempore interciderunt, nunquam aliter à veteribus dicta. *Schemata* igitur nominabuntur, frequentiora quidem apud poëtas, sed oratoribus quoque permisa. Verum *schema* fere habebit aliquam rationem, ut docebimus eo quem paulo ante promissimus loco. ⁶ Sed hoc quoque quod

¹ *Fiunt solæcismi.*] Fiunt etiam *solæcismi* partium mutatione, non solum diversarum, verum etiam cognatarum & vicinarum. quamquam interim mutatio venustum efficit schema, quod appellant *enallagen & heterosin*. *Idem*.

² *Vel adverbium.*] Jam cras hesternum consumimus, ecce aliud cras. *Perf.*

³ *Est enim.*] Hic Fabius notare videtur vitium quod appellant *ἀνακλάσειον*, quod fit quando in eadem periodo protasi male redditur apodosis: ut *omnia prius experiri quam armis sapientem decet*. dicendum erat, quam arma. *Turneb.*

⁴ *Quædam tamen.*] Intelligit figuram *appositionem*, cujus creber fuit apud

antiquos usus, ut specialibus generalia adderentur, quæ tamen phrasis postea interciderit. videtur autem esse *solæcophanes*. *Turneb.*

⁵ *Ludi Floralia.*] Floralia ludi votivi perfoluti à Posthumio & Lanate coss. Ovid. *Fastor.* lib. 5. Valde erraverunt, qui *Larentalia* pro his acceperunt, quæ celebrabantur in Decembri, cum *Floralia* fierent pridie Calendarum Maii. *Megalesia* ludi magnæ matris, quibus P. Africanus iterum consul ille major primum locum ante confessum populi senatui dedit, ut Cic. ait. Vide & Ovid. l. iv. *Fastor. Camerar.*

⁶ *Sed hoc quoque.*] Lib. 9. cap. 1.

I In

quod *schema* vocatur, si ab aliquo per imprudentiam factum erit, *solæcismi* vitio non carebit. ¹ In eadem specie sunt, sed *schemate* carent, ut supra dixi, nomina fœminina quibus mares utuntur, & neutralia quibus fœminæ. ² Hactenus de *solæcismo*. Neque enim artem grammaticam componere aggressi sumus: sed cum in ordinem incurreret, inhonoratam transire nolimus. Hoc amplius, ut institutum ordinem sequar, verba aut Latina aut peregrina sunt. *Peregrina* porro ex omnibus prope dixerim gentibus, ut homines, ut instituta etiam multa, venerunt. ³ Taceo de *Tuscis* & *Sabinis*, & *Prænестinis* quoque: nam ut eorum sermone utentem ⁴ *Vectium* Lucillius infectatur: quemadmodum *Pollio* deprehendit in *Livio* ⁵ *Patavinitatem*: licet omnia Italica pro Romanis habeam. Plurima Gallica valuerunt, ⁶ ut *rheda* ac *petoritum*: quorum altero ⁷ Cicero tamen, altero ⁸ Horatius utitur. Et ⁹ *mappam* quoque, usitatum Circo nomen,

¹ In eadem specie sunt.] Nomina positione fœminina, quæ masculorum sunt, *solæcismum* efficere videntur. ut *Murena*, *Aurata*. Itidem quoque nomina fœminarum, quæ positione sunt neutra. *Turneb.*

² Hactenus.] Cum Fabius de nominum divisione ageret, nominumque virtutibus ac vitiiis, excurrit in *solæcismum* & *barbarismum*: denuo igitur institutam repetit divisionem. *Idem.*

³ Taceo de *Tuscis*, &c.] *Curis Fortunatianus* lib. 3. *Rhet. Scholic.* Gentilia verba sunt quæ propria quarundam gentium: sicut Hispani non cubitum vocant, sed Græcorum *Ancona*: & Galli facundos pro facetis. Et Romani vernacula plurima & neutra masculino genere potius enunciant, ut hunc theatrum, & hunc prodigium. *Priscian.* lib. 1. *O* aliquot civitates Italiæ, teste *Plinio*, non habebant, sed loco ejus ponebant *u*, & maxime Umbri & *Tusci*. *Sosipater* lib. 2. *Pithæus.*

⁴ *Vectium.*] *Vectius* orator fuit mediocris, natione *Marsus*. hic cum uteretur

verbis municipalibus, à *Lucillio* in satyris est exagitatus. *Turneb. Vectius.* *Vectius Vectianus* è *Marsis* inter externos Oratores à *Cicerone* nominatur in *Bruto*. *Camerar.*

⁵ *Patavinitatem.*] Per *patavinitatem* intelligit affectationem quandam municipalem, quæ quanquam barbara non est, tamen à genuina sermonis Romani elegantia desciscere videtur. *Turn.* In *Livio Patavinitatem.*] Vide *Franc. Flor. Sabini* *Subcisc.* l. 1. c. 2. *Pollio deprehendit in Livio Patavinitatem.*] *Adi Ptol. Flavium Anconit. Conjectan.* c. 45. p. 972. In *Lamp. Crit. part. 1.* & *Franc. Floridi Sabini Lect. subcisciv.* libro 1. cap. 2. p. 10063.

⁶ *Ut rheda ac petoritum.*] *Agel.* l. 15.

⁷ *Cicero.*] *Pro Milone.*

⁸ *Horat.*] *Serm. 2. Sat. 6.*

⁹ *Mappam.*] *Mappa* velum erat quod à magistratu mittebatur in signum curricula ludis *Circensibus*. *Turneb. Et mappam.*] *Leg. Et mappam circo quoque usitat. nomen, &c.* Vide *Dom. Calder. Observ.* lib. 3. p. 317. *Mappam.*] *Martial.* lib. 12.

nomen, Pœni sibi vendicant: & *Gurdos*, quos pro stolidis accipit vulgus, ex Hispania duxisse originem audivi. Sed hæc divisio mea, ad Græcum sermonem præcipue pertinet: nam & maxima ex parte Romanus inde ¹ conversus est, & confessis quoque Græcis utimur verbis, ubi nostra defunt, sicut illi à nobis nonnunquam mutuuntur. ² Inde illa quæstio exoritur, an eadem ratione per casus duci externa, qua nostra, conveniat. Ac si reperias grammaticum veterum amatorem, neget quicquam ex Latina ratione mutandum: quia cum sit apud nos casus ablativus, quem illi non habent, parum conveniat, uno casu nostro, quinque Græcis uti. Quinetiam laudet virtutem eorum, qui potentiolem facere linguam Latinam studebant, nec alienis egere institutis fatebantur: ³ inde *Castorem* media syllaba producta pronuntiarunt, ⁴ quia hoc omnibus nostris nominibus accidebat, quorum prima positio in easdem quas *Castor* literas exit: & ut *Palæmo*, ac *Thelamo*, & *Plato*, (nam sic eum Cicero quoque appellat) dicerentur, retinuerunt: quia Latinum quod *o* & *n* literis finiretur, non reperiebant. ⁵ Ne in *a* quidem atque *s* literas exire temere masculina Græca nomina recto casu patiebantur: ideoque & apud Cælium legimus, *Pelia Cincinnatus*: & apud Messalam, *Benefecit Euthia*: & apud ⁶ Ciceronem, *Hermagora*: ne miremur quod ab

¹ *Conversus est.*] Roman. sermo ex Græco conversus.

² *Inde illa quæstio.*] Quæstionem hanc, an oporteat græca nomina latine flectere, primum grammaticorum veterum opinione decidit, qui putabant latine esse inflectenda: deinde recentium, qui græce declinanda judicabant: postremo sua ipsius, putatque in nonnullis retinendam esse inflexionem græcam, in nonnullis latinam, ubi patitur linguæ decor. *Turneb.*

³ *Inde Castorem.*] Antiqui cum Græcis nominibus utebantur, ea in consuetudinem latinam transformabant. itaque cum latina nomina in *or* termi-

nata, *o* longum habeant in obliquis, Græca quoque nomina per *o* longum enunciabant. Inde apud Lucillum Actius exagitur, quod *Hectorem* media longa dixisset. *Turneb.*

⁴ *Quia hoc.*] Hoc est, omnia Latina declinabantur per *o* longum, quæ quidem desinerent in nominativo *or*. *Camerar.*

⁵ *Ne in a quidem.*] Hoc intelligendum est de nominibus primæ declinationis Græcorum, quæ in linguam latinam antiqui vertebant detractis. *Turneb.*

⁶ *Ciceronem.*] Rhetor. 1. & in Bruto.

ab antiquorum plerisque *Aenea* & *Anchisa* sit dictus. ¹ Nam si ut *Mecœnas*, *Suffenas*, ² *Asprenas* dicerentur, genitivo casu non *e* litera, sed *tis* syllaba terminarentur. ³ Inde *olympo* & *tyranno* acutam mediam syllabam dederunt, ⁴ quia duabus longis sequentibus primam brevem acui noster sermo non patitur. Sic genitivus ⁵ *Achilli* & *Ulyssi* fecit, sic alia plurima. ⁶ Nunc recentiores instituerunt Græcis nominibus Græcas declinationes potius dare: quod tamen ipsum non semper fieri potest. Mihi autem placet Latinam rationem sequi quousque patitur decor. ⁷ Neque enim jam *Calypsonem* dixerim, ut *Funonem*: quanquam secutus antiquos C. Cæsar utitur hac ratione declinandi. Sed auctoritatem consuetudo superavit. In cæteris quæ poterunt utroque modo non indecenter efferi, qui Græcam figuram sequi malit, non Latine quidem, sed citra reprehensionem loquetur. ⁸ Simples voces, prima positione, id est natura sua constant: compositæ, aut præpositionibus subjunguntur, ut *innocens*

inter-

1 *Nam si.*] Innuit omnia nomina latina terminata in *as*, facere genitivum in *atis*. Turnebus.

2 *Asprenas.*] Nonius *Asprenas* causam dixit veneficii cum accusaretur à Cassio Severo, quod unius patinæ veneno necasset cxxx. convivas. Plin. lib. 35. cap. 12. *Camerar.*

3 *Inde olympo.*] Antiqui in nominibus Græcis accentu utebantur Latino, non Græco. itaque dictiones Græcas quæ penultimam longam haberent, solebant media syllaba acueri, cum Græci acuerent in antepenultima. Turneb. *Inde olympo.*] Sensus est: cum Græci dicant Ὀλυμπός & Τύρρανός, maluisse illos Latinos veteres Græca nomina, suo, quam Græcorum more enuntiare: itaque mediam acuisse, quæ cum longa sit positione, Latina ratione non poterit gravari. Quod autem dixit, *dederunt olympo*, non ita accipiendum, quasi dativum solum notarit: nam id fecit suo more, ut paulo ante *Aenea* & *An-*

chisa sit dictus. Solet enim exempla ferre Fabius ad constructionem orationis accommodare. *Camerar.*

4 *Quia duabus longis sequentibus.*] Legge, quia aut una aut duabus longis. Turnebus.

5 *Achilli & Ulyssi.*] Hi genitivi sunt antiqui, ac deducuntur à nominibus terminatis in *eus*, per synæresin, ut *Achilleus*: falliturque Servius qui putat in his casibus esse *antiphrasin*. Idem.

6 *Nunc recentiores instituerunt.*] Gebhardus mavult: *insliterunt*.

7 *Neque enim jam.*] Priscianus tamen ait nomina græca in *o* longum terminata, latine vel per *us* flecti vel per *onis*. quod tamen non placet Fabio. Turnebus.

8 *Simplices voces.*] Per simplices voces intelligit nomina primitiva, quæ ab alio non componuntur, dicunturque ab aliis nomina primæ impositionis. Cicero appellasse videtur nomina nativa. Turnebus.

¹ interdum repugnantibus inter se duabus, quale est *impe-
territus*: alioqui possunt aliquando continuari duæ, ut *in-
compositus*, *reconditus*, & quo Cicero utitur, ² *subabsurdum*.
Aut è duobus quasi corporibus coalescunt, ut *malesicus*.
Nam ex tribus nostræ utique linguæ non concesserim:
quamvis *capis* ³ Cicero dicat compositum esse ex *cape si vis*:
& inveniuntur qui ⁴ *Lupercalia* æque tres partes orationis
esse contendunt, quasi *luere per caprum*. nam ⁵ *Solitaurilia*
jam persuasum est esse ex *sue*, *ove*, & *tauro*. & sanè ita se
habet sacrum quale ⁶ apud Homerum quoque est. Sed hæc
non tam ex tribus, quam ex particulis trium coeunt. Cæ-
terum etiam ex præpositione & duobus vocabulis dure vi-
detur struxisse ⁷ Pacuvius:

--- ⁸ *Nerèi*

Repandirostrum incurvicervicum pecus.

Junguntur autem aut ex duobus Latinis integris, ut *super-
fui*, *subterfugi*: (quanquam ex integris an composita sint,
quæritur) aut ex integro & corrupto, ut *malevolus*: aut ex
corrupto & integro, ut *noctivagus*: aut ex duobus corruptis,
ut *pedisequus*: aut ex nostro & peregrino, ut ⁹ *biclinium*: aut
contra, ut *epitogium*, & *Anticato*: aut ex duobus peregrinis,

ut

¹ *Interdum repugnantibus.*] Hæc com-
positio Fabio videtur paulo esse durior,
nec eam certe probat, quanquam ipse
quoque eadem est usus. dixit enim, *in-
expugnabilem*. Idem. *Repugnantibus.*] Quæ
integre jungi nequeant. *Camerar.*

² *Subabsurdum.*] II. De Orat.

³ *Cicero.*] In Orator. & Quintil. in-
fra lib. 6. cap. de risu.

⁴ *Lupercalia.*] Decimo quinto Ca-
lendas Martii currebant Luperci. Ovid.
lib. xi. Fastor. *Camerar.*

⁵ *Solitaurilia.*] *Solitaurilia* sacrificium
erat quod à Censoribus quinto quoque
anno lustro condito fiebat ex *sue*, *ove*,
& *tauro*. *Turneb. Solitaurilia.*] Tractat
hæc Macrobius Saturnal. lib. 3. cap. 10.
Vide Joh. Brodæum Miscellan. lib. 6.

cap. 33. p. 569. quod *sue*, *ove* & *tauro*
sacrificaretur. *Camerar. Solitaurilia.*] *Suo-
vetaurilia.* Liv. deca. primæ lib. 1.

⁶ *Apud Homerum.*] *Odyssæ* 8.

⁷ *Pacuvius.*] Vide Crinit. lib. 19
cap. 5.

⁸ *Nerèi.*] Hic versus intelligi videtur
de *Phocis*. Sic enim appellantur vituli
marini, suntque Nereo consecrati, ma-
gistrumque habent Proteum sive custo-
dem. *Turneb.*

⁹ *Biclinium.*] *Biclinium* cœnatio est
quæ capit duos lectos, ut *triclinium* tres.
est autem dictio composita ex latino &
græco. Idem. *Ut biclinium, ut epitogium.*] *Epitogium*
genus vestis, quod togæ su-
perinduebatur, ex *ètri* & *toga*. Vide Do-
mit. Calderin. Observ. lib. 3. p. 316.

I Ut

¹ ut *epirhedium*. Nam cum sit præpositio ἐπι Græca, ² *rheda* Gallicum: nec Græcus tamen nec Gallus utitur composito: Romani suum ex alieno utroque fecerunt. ³ *Frequenter autem* præpositiones quoque copulatio ista corrumpit: inde *abstulit, aufugit, amisit*: cum præpositio sit ab, *sola: & coit*, cum sit præpositio con: sic *ignavi*, ⁴ & *erepti*, & similia. Sed res tota magis Græcos decet, nobis minus succedit: nec id fieri natura puto, sed alienis favemus: ideoque cum κερταχένια mirati sumus, ⁵ *incurvicervicum*, vix à risu defendimus. ⁶ *Propria sunt verba*, cum id significant, in quod primum 10 denominata sunt. *Translata*, cum alium natura intellectum, alium loco præbent. Usitatis tutius utimur: nova non sine quodam periculo fingimus. Nam si recepta sunt, modicam laudem afferunt orationi: *repudiata*, etiam in jocos exeunt. Audendum tamen: namque, ut ⁷ *Cicero* ait, etiam quæ primo dura visa sunt, usu molliuntur. ⁸ Sed minime nobis concessa est ἰνομαλοποιία. quis enim ferat siquid simile illis merito laudatis, ⁹ λίγξε βιός, & σίζει ¹⁰ ὀφθαλμός, fingere audeamus? ¹¹ Jam ne *balare* quidem aut *hinnire* fortiter diceremus, nisi iudicio vetustatis niterentur.

C A P.

¹ *Ut epirhedium.*] *Epirhedium* genus est vehiculi, quod non est absimile rheda. *Turneb.*

² *Rheda.*] *Cic.* in Orat.

³ *Frequenter autem.*] Videtur innuere *Fabius*, ex præpositione ab compositionem fieri, non autem ex præpositione abs vel à. *Turneb.*

⁴ *Et erepti.*] In aliis codicibus scribitur, è republica: quæ compositio tamen non placet *Fabio*. itaque alii conjectura ducti scripserunt *erepti*, ut videatur esse mutata præpositio ex. *Idem.*

⁵ *Incurvicervicum.*] *Varro* lib. 2. de L. L.

⁶ *Methodo resolutiva ea persequitur*, quibus constat oratio emendata. *Fabius* autem libro octavo ait verba aut propria esse, aut translata, aut ficta. propria sunt certa rerum vocabula cum ipsis rebus pene nata: translata, tropo im-

mutata: ficta, quæ ab oratore novantur, & usitatis apponuntur. *Turneb.*

⁷ *Cicero.*] *Cic.* I. de nat. Deorum.

⁸ *Sed minime.*] Fictio nominis vix est Latinis concessa, eam tamen Græci usurpant frequenter in effingendis sonis, aliisque affectibus, non alia libertate quam primi homines qui rebus appellationem imposuerant. Huc spectare putat *Erasm.* *paragogen*, id est nominum deductionem ex analogia sumptam: ut si syllaturive dicamus, quemadmodum *eswive*. *Turneb.*

⁹ *Λίγξε βιός.*] *Hom.* 4. *Iliad.* & *Odyss.* 9.

¹⁰ *ὀφθαλμός.*] Ἄνεμο, alii.

¹¹ *Jam ne balare quidem aut hinnire.*] *Leg.* *Jam ne balare quidem aut forte hinnire dicremus.* Vide *Jan. Gebhard.* *Crepund.* lib. 2. cap. 1.

C A P. VI.

De verbis propriis ac translatis, usitatis & novis, & de quatuor quibus sermo constat. De vetustis verbis & quibus verbis sit utendum, & de auctoritate. De consuetudine.

Est etiam sua loquentibus observatio, sua scribentibus. Sermo constat ratione, vetustate, auctoritate, consuetudine. ¹ Rationem præstat præcipue *analogia*, nonnunquam & ² *etymologia*. Vetera, majestas quædam, & ut sic dixerim, religio commendat. *Auctoritas* ab oratoribus vel historicis peti solet. nam poëtas metri necessitas excusat, nisi siquando nihil impediente in utroque modulatione pedum, alterum malunt, qualia sunt, — ³ *Imo de stirpe recisum.* & — *Aeria quo congefere palumbes.* & — *Silice in nuda.* & similia: cum summorum in eloquentia virorum iudicium pro ratione, & vel error honestus est magnos duces sequentibus. ⁴ Consuetudo verò, certissima loquendi magistra: utendumque plane sermone, ⁵ ut numo, cui publica forma est. Omnia tamen hæc exigunt acre iudicium, ⁶ *analogia* præcipue, quam proxime ex Græco transferentes in Latinum, *proportionem* vocaverunt. Ejus hæc vis est, ut id quod dubium est, ⁷ ad aliquid simile, de quo non quæritur, referat: ut incerta certis probet. Quod efficitur duplici via: *comparatione* similium in extremis maxime syllabis,

¹ *Rationem præstat.*] *Analogiam* nonnulli servandam putant in grammatica. ea autem est similium similis inflexio. alii contra *anomaliã*, quæ est inæqualitas & dissimilis declinatio. Artis tamen præceptiones *analogia* potius constant, consuetudinis ratio *anomalia*. Turneb.

² *Etymologia.*] A-Gell. l. 2. c. 25.

³ *Imo, &c.*] *Æneid.* 11. *Ecl.* 3. & 1.

⁴ *Consuetudo vero.*] *Consuetudo* accipienda est pro consensu eruditorum, non pro locutione vulgi, quæ plerunque vitiosa est. Turneb.

⁵ *Ut numo cui publica forma est.*] Ita utendum verbis ut numis publica moneta signatis. Pitb.

⁶ *Analogia præcipue.*] Quia similitudo plerunque imponit & fallit, à qua ducitur *analogia*. Porro M. Varro lib. 8. de lingua latina, multa contra *analogiam* disputat, aitque nullam esse similium observationem. eam tamen in libris de lingua latina tuetur. Turneb.

⁷ *Ad aliquid simile.*] M. Varro ait eum *analogiæ* esse imperitum, qui similitudinem sumere non possit, à qua pendet *analogia*. Idem.

1 *Que*

bis, (propter quod ea ¹ quæ sunt è singulis, negantur debere rationem) & diminutione. Comparatio in nominibus, aut genus deprehendit, aut declinationem: Genus, ut si quærat, ² *funus* masculinum sit, an foemininum, simile illi sit *panis*. Declinationem, ut si veniat in dubium, *hac domu* dicendum sit, an *hac domo*, & *domuum* an *domorum*: similia sunt *domus*, *anus*, *manus*. ³ Diminutio genus modo detegit: & ne ab eodem exemplo recedam, *funem* masculinum esse *funiculus* ostendit. Eadem in verbis quoque ratio comparationis: ut si quis ⁴ antiquos sequutus *fervere* brevi media syllaba dicat, deprehendatur vitiose loqui, quod omnia quæ *e* & *o* literis ⁵ fatendi modo terminantur, eadem si in infinitis *e* literam media syllaba acceperunt, utique productam habent, *prandeo*, *pendeo*, *spondeo*, *prandere*, *pendere*, *spondere*. At quæ *o* solam habent, dummodo per eandem literam in infinito exeant, brevia fiunt, *lego*, *dico*, *curro*, *legere*, *dicere*, *currere*, ⁶ etiamsi est apud Lucillum,

Fervit aqua & ⁷ fervet: fervit nunc, fervet ad annum.

Sed pace dicere hominis eruditissimi liceat, si *fervit* putat illi simile *currit* & *legit*, *fervo* dicetur, ut *curro* & *lego*: quod nobis inauditum est. Sed non est hæc vera comparatio: nam *fervit* illi est simile *servit*: quam proportionem sequenti dicere necesse est *fervire*, ut *servire*. ⁸ Prima quoque ali-

quando

¹ *Quæ sunt è singulis, &c.*] Varro In his quæ non declinantur analogia quæri non debet, ut *mox*, *vix*. Pithœus.

² *Funus.*] Gellius tamen annotat Lucretium esse usum hac dictione in foeminino, *Aurea de cælo demisit funus in arva*. Turneb.

³ *Diminutio genus.*] Annotat ipse Priscianus nomina quadam videri diminutiva, quæ à suo primitivo genere differant, ut *aculeus*, *paxillum*: quæ tamen potius sunt *paronyma* quam *diminutiva*. Idem.

⁴ *Antiquos secutus.*] Antiqui pene omnia verba secundæ conjugationis per

tertiam extulerunt, maxime tamen verba in *vo*. Idem.

⁵ *Fatendi.*] Id est, indicandi.

⁶ *Etiam si est apud, &c.*] Priscianus tamen ait Terentium hoc verbo usum, cum ait, *Cum maxime fervit*. nam Verg. etsi dixit *fervere Leucatem*, nunquam tamen disisset in præsentis *fervo*. Turneb.

⁷ *Fervit aqua & fervet, &c.*] Vide hac de re Gasp. Barthium Advers. lib. 56. p. 9. p. 2645.

⁸ *Prima quoque positio.*] Servius tamen negat *pago* dici absque *n*, Priscianus vero putat *pepigi* deductum esse à verbo *panis*, contrarium tamen sentit Fabius. Turneb.

quando positio ex obliquis invenitur, ut memoria repeto convictos à me qui reprehenderant quod hoc verbo usus essem, ¹ pepigi. Nam id quidem dixisse summos auctores confitebantur, rationem tamen negabant permittere: quia prima positio *paciscor*, cum haberet naturam patiendi, faceret tempore præterito *pactus sum*. Nos præter auctoritatem oratorum atque historicorum analogia quoque dictum tuebatur. Nam cum in XII. tabulis legeremus, *Ni ita pagunt*: inveniebamus simile huic, ² *cadunt*. inde prima positio, etiamsi vetustate exoleverat, apparebat, *pago*, ut *cado*: unde non erat dubium sic *pepigi* nos dicere, ut *cecidit*. ³ Sed meminimus non per omnia duci *analogia* posse rationem, cum sibi ipsa plurimis in locis repugnet. Quædam sine dubio conantur eruditi defendere, ut cum deprehensum est, *lepus* & *lupus* simili positione, quantum casibus numerisque dissentiant: ita respondent, non esse paria, quia *lepus* epicœnum sit, *lupus* masculinum: ⁴ quanquam Varro in eo libro quo initia urbis Romæ enarrat, *lupum* fœminam dicit, Ennium Pictoremque Fabium secutus. Illi autem iidem cum interrogantur cur *aper apri* & *pater patris* faciat: illud nomen positum, ⁵ hoc ad aliquid esse contendunt. Præterea quoniam utrunque à Græco ductum sit, ad eam rationem recurrunt, ut *πῶλες patris*, ⁶ *κίπρις capri* faciat. Illa tamen quomodo effugient, ut nomina quamvis fœminina singulari nominativo, *u, s*, literis finita, nunquam genitivo casu in

vis,

¹ *Pepigi.*] Vult Fabius non esse à *pango, is*, sed à *pago*. Adi fodes Jac. Spiegelii Interpret. ad Prudent. p. 194. Edit. Weitzian. Hadr. Turneb. Advers. lib. 29. c. 15. p. 1013.

² *Cadunt.*] *Capunt* Ver. Terent. Scaur. de Orthog. 22. Prisc.

³ *Sed meminimus.*] Nunc Quintilianus est contra *analogiam* disputaturus, probabitque multis in locis *anomaliam* esse sequendam, si consuetudine nitatur. Eodem quoque modo apud Græcos Crates grammaticus *anomalsam*

defendit, cum diceret Aristarchus sequendam esse *analogiam*. Fabius tamen mediocritatem esse tenendam putat, ut *analogiam* sequamur si non repugnet consuetudo. Turneb.

⁴ *Quanquam Varro.*] Hæc animalium nomina olim erant omnia *epicœna*, & ad sexus discretionem addebatur masculinum aut fœmina. Idem.

⁵ *Hoc ad aliquid.*] Πρωτότυπον πῶλες π. Pithœus.

⁶ *Κίπρις.*] Varro tamen *aprium* dixit, quod loca aspera incolat. Turneb.

vis, syllabam terminantur, faciat tamen *Venus Veneris*? Item cum *e, s*, literis finita, per varios exeant genitivos, nunquam tamen eadem ¹in *us* syllaba terminatos, *Ceres* cogat dici *Cereris*? Quid vero quæ tota positionis ejusdem, in diversos flexus exeunt? ²cum *Alba* faciat *Albanos* & *Albenses*, *Volo volui* & *volavi*. Nam præterito quidem tempore varie formari verba prima persona *o*, litera terminata, ipsa analogia confitetur. Siquidem facit *cado cecidi*, *spondeo spondei*, *pingo pinxi*, *lego legi*, *pono posui*, *frango fregi*, *laudo laudavi*. ³Non enim cum primum fingerentur homines, ⁴*analogia* demissa cælo formam loquendi dedit: sed inventa est postquam loquebantur, & notatum in sermone, quid quomodo caderet. itaque non ratione nititur, sed exemplo: nec lex est loquendi, sed observatio: ⁵ut ipsam *analogiam* nulla res alia fecerit, quam consuetudo. Inhærent tamen quidam molestissima diligentia perversitate, ut ⁶*audaciter* potius dicant quam *audacter*, licet omnes oratores aliud sequantur: & *emicavit*, non *emicuit*: & *conire*, non *coire*. ⁷His permittamus & *audivisse*, & *scivisse*, & *tribunale*, & *faciliter*, dicere.

1 *In vis*.] Videtur legendum in *eris*: alioqui enim *tellus* quoque facit *telluris*: nullum tamen nomen foemin. in *us*, genitivum facit in *eris*, præter *Venus*. Idem.

2 *Cum Alba*.] *Alba* oppidum est in Latio, unde *Albani* dicuntur. est & oppidum juxta lacum Fuscinum, unde dicuntur *Albenses*. Idem.

3 *Non enim cum*.] Idem testari videtur Diomedes: nam cum latinitatem divisisset in *naturam*, *analogiam*, *consuetudinem*, *auctoritatem*; *analogiam* finit sermonis à natura proditi ordinationem esse quandam & observationem, secundum technicos. Idem.

4 *Analogia demissa cælo*.] Cælo venire & demitti dicuntur perfecta quæque, & quorum opus aut inventio major humana dici vult: deinde etiam *cælo missos* dicebant quos inopinato videbant. *Lactant.* lib. 1. c. 2. *Artemidorus* lib. 1. cap. 7. in fine. *Plin.* lib. 16. c. ult. *Cas-*

siodor. Epist. 40. lib. 2.

5 *Ut ipsam analogiam*.] Præcipit quoque Priscianus homines *analogiam* tenere debere, sed potius tamen auctorum usum æmulari. *Turneb.*

6 *Audaciter*.] Annotat tamen Priscianus Sallustium *audaciter* dixisse quin & Cicero quoque in oratione pro Roscio, *multa scelerate, multa audaciter, multa improbe fecisti*. Idem. *Audaciter potius quam audacter, licet omnes oratores*.] Non omnes, ô Fabi: Apud Livium quidem Marcumque ac Lucium Senecas non veritos *audaciter* dicere testes sunt optimi & antiquissimi codices. *Gronovius*.

7 *His permittamus*.] Non damnat Fabius *audivisse* & *scivisse*: sed cum illi analogiæ defensores, *audisse* & *scisse* barbara putarent, putat Fabius & plenum verbum & imminutum esse in usu. *Turnebus*.

1 *Frugalis*

dicere. ¹ *frugalis* quoque sit apud illos, non *frugi*: nam quo alio modo fiat *frugalitas*? ² *Idem centum millia nummum*, & *fidem Deum*, ostendant duplices solœcismos esse, quando & casum mutant, & numerum. Ne sciebamus enim, ac non consuetudini & decori serviebamus: sicut in plurimis quæ Tullius in Oratore divinè, ut omnia, exequitur. ³ Sed Augustus quoque in epistolis ad ⁴ C. Cæsarem scriptis emendat, quod is ⁵ *calidum* dicere quam ⁶ *caldum* malit: non quia illud non sit Latinum, sed quia sit odiosum, & ut ipse Græco verbo significavit, *πεχρησθον*. ⁷ Atqui hanc quidam *ὀρθόπειαν* solam putant, quam ego minime excludo. Quid enim tam necessarium, quam recta locutio? Imo inhærendum ei iudico quo ad licet: diu etiam mutantibus repugnandum: sed abolita atque abrogata retinere, insolentiæ cujusdam est, & frivola in parvis jactantiæ. ⁸ Multum enim literatus, qui sine aspiratione & producta secunda syllaba ⁹ salutavit, avete (est enim) & *calescere* dixerit potius quam quod dicimus, & *conservavisse*: ¹⁰ his adjiciat *face*, & *dice*, & similia.

¹ *Frugalis quoque.*] Hæc vox *frugalis* Fabio displicet, ac putat dicendum *frugi* pro abstimente & modesto. quaquam Juvencialis *frugalis* dixit. *Idem*.

² *Idem centum.*] Nam ajunt, cum *nummum* dicitur pro *nummorum*, positum esse accusativum singularem pro genitivo plurali, cum *nummum* in genitivo plurali nunquam reperiri dicant. Cicero autem in Orator. ad Brutum ait dicendum esse *trium virum*, & *sestertium nummum*, non *sestertiorum nummorum*. ita impetravimus à consuetudine ut peccaremus. *Idem*.

³ *Sed Augustus quoque.*] Cajum & Lucium nepotes ex Julia & Agrippa Augustus habuit, quorum Cajus in Lycia, Lucius Massilia defunctus est. Vide Gell. lib. 15. cap. 7. *Camerar.*

⁴ *C. Cæsarem.*] Agrippæ & Juliae filium, quem adoptavit Augustus. *Suetonius*.

⁵ *Calidum dicere quam caldum.*] Varro

lib. 3. de Re Rust. cap. 2. Vide Francisc. Robortelli Emendat. lib. 2. cap. 5. pag. 67. 68.

⁶ *Caldum.*] Apparet seculo Augusti *caldum* potius dictum quam *calidum*. unde Vitruvius, qui illius tempore scripsit, semper appellat *vasa caldaria*. *Turnebus*.

⁷ *Atqui hanc ὀρθ.*] *Ὄρθόπειαν* antea usurpavit pro suavi verborum explanatione & pronunciatione: nunc pro phrasi & locutione quæ recta sit & emendata, quasi tu dicas *rectiloquium*. *Idem*.

⁸ *Multum enim.*] Qui *avete* dicit pro *salvete*, antiquitatem est secutus, alioqui *aveo* à Cicerone frequenter usurpatur pro *cupio*. *Idem*.

⁹ *Salutavit.*] Apparet ex hoc loco, duabus brevibus syllabis Fabii sæculo dictum fuisse *Ave*, sicut *calescere* & *conservasse*. *Camerar.*

¹⁰ *His adjiciat face.*] Dicebant antiqui,

similia. Recta est hæc via: quis negat? sed adjacet & mollior, & magis trita. ¹ Ego tamen non alio magis angor, quam quod obliquis casibus ducti etiam primas sibi positiones non invenire, sed mutare permittunt: ut cum *ebur* & *robur*, ita dicta ac scripta summis auctoribus, in *o* literam secundæ syllabæ transferunt, quia sit *roboris* & *eboris*: *sulfur* autem & *guttur*, *u*, literam in genitivo servent: ideoque etiam *jecur* & *femur* controversiam fecerunt. quod non minus est licentiosum, quam si *sulfuri* & *gutturi* subjicerent in genitivo literam *o* mediam, quia esset *eboris* & *roboris*: sicut Antonius ² Gniphio, qui *robur* quidem & *ebur* atque etiam *marmur* fatetur esse, verum fieri vult ex his *robura*, *ebura*, *marmura*. Quod si animadverterent literarum affinitatem, scirent sic ab eo quod est *robur*, *roboris* fieri: quomodo ab eo quod est *miles limes*, *militis limitis*: *judex vindex*: *judicis vindicis*: & quæ supra jam attigi. Quid? non similes quoque (ut dicebam) positiones, in longe diversas figuras per obliquos casus exeunt? ut *virgo*, *Juno*, *susus*, *lusus*: *cussis*, *puppis*, & mille alia? cum illud etiam accidat, ut quædam pluraliter non dicantur, quædam contra singulari numero, ³ quædam casibus careant: quædam à primis statim positionibus tota mutantur, ut *Jupiter*. Quod verbis etiam accidit, ut ⁴ *fero tuli*: cujus præteritum perfectum, & ulterius non invenitur. Nec plurimum refert, ⁵ nulla hæc,

an

qui, *face*, *dice*, *duce*, ut tradit Priscian. Turneb.

¹ *Ego tamen.*] Reprehendit eos grammaticos qui nomina quædam neutra genitivum facientia per *oris*, terminarent in nominativo per *or* ac dicerent *robor*. Idem.

² *Gniphio.*] Grammaticus Ciceronis seculo, quem & audivisse ille in Prætura quoque traditur à Tranquillo. *Cameras*.

³ *Quædam casibus careant.*] Intelligit ea quæ dicuntur à grammaticis *aperta* & *monoptota*, quæ perpetuam & can-

dem ubique habent terminationem, ut *quatuor*. Turneb.

⁴ *Fero tuli.*] Nam *tuli* ab antiquo est præterito verbi *tullo*: ita *fero* proprium præteritum perfectum & plusquamperfectum non habet. *Idem*.

⁵ *Mollia hæc, an prædura sint.*] *Lege, nulla*, id est, nulli sint obliqui casus. Turneb. *Nulla hæc.*] Idem autem de illis judicium est, quæ prorsum fieri nequeunt: sicut à *volo*, non queat dici *volis*, neque à *Jupiter* *Jupitris*, & de his quæ sunt dura dictu. *Cameras*.

I Nam

an prædura sint. ¹ Nam quid *progenies* genitivo singulari, quid plurali *spes* faciet? Quomodo autem *quire* & *ruere*, vel in præterita patiendi modo, vel in participia transibunt? Quid de aliis dicam, cum ² *senatus senatus senatui*, an *senatus senati senato* faciat, incertum sit? Quare mihi non inueniste dici videtur, ³ aliud esse *Latine*, aliud *Grammaticè* loqui. Ac de *analogia* vel nimium. ⁴ *Etymologia*, quæ verborum originem inquirat, ⁵ à Cicerone dicta est *notatio*, quia nomen ejus apud ⁶ Aristotelem invenitur *συμβολον*, quod est *nota*: nam *verbum* è *verbo* ductum, id est *veriloquium*, ipse Cicero qui finxit, reformidat. Sunt qui vim potius intuiti, *originationem* vocent. ⁷ Hæc habet aliquando usum necessarium, quoties interpretatione res de qua quaeritur, eget: ⁸ ut cum M. Cælius se esse hominem frugi vult probare, non quia abstinens sit (nam id ne mentiri quidem poterat) sed quia utilis multis, id est fructuosus, unde sit dicta *frugalitas*. Ideoque in definitionibus assignatur etymologia locus. ⁹ Nonnunquam etiam ¹⁰ *barbara* ab emendatis conatur

tur

¹ Nam quid *progenies*.] Hunc genitivum *progeniei* Fabius damnat, quam nonnulli utantur. damnat quoque *specierum* in genitivo. Turneb.

² *Senatus*.] Priscianus annotat hæc nomina quæ sunt quartæ declinationis, olim quoque fuisse secundæ. Idem.

³ Aliud *latine*.] Loqui *latine* est sequi doctorum & elegantium consuetudinem & usum; *grammaticè* vero, est loqui ex præceptionibus artis & ex artis analogia. Idem.

⁴ *Etymologia, quæ*.] *Etymologia* utitur grammaticus ut vim nominis & originem eliciat: *Dialecticus* vero & *rhëtor*, tum ut definiat, tum ut probet. quam alioqui, ut testatur Fabius, rarus est *etymologiae* usus. Idem.

⁵ A Cicerone.] In Topic.

⁶ Aristotelem.] Arist. l. *Ἐπισημειώσεως*.

⁷ Hæc habet.] Duplex est usus *etymologiae*, vel ut probemus, ut docet Fabius libro quinto, vel ut definiamus, ut

docet libro septimo. quamquam utrobique est quasi quædam definitio. Turneb.

⁸ Ut cum M. Cælius se esse hominem frugi vult.] Homo frugi à Latinis dicitur *sobrius* & temperatus; probus & consummate officiosus: cui nequam opponitur. Cælius autem cum esset ipse profusus & parum continens, interpretatus est hominem frugi, hominem multis utilem. Idem.

⁹ Nonnunquam etiam *barbara*.] Sensus est, interdum *etymologia* veram nominis originem investigat, & compositionem quæ tempore ipso sit immutata, itaque conatur appellationem illam usitatam ostendere barbaram, cum tamen consuetudo vincat. Turneb.

¹⁰ *Barbara ab*.] Hoc est, *etymologia* ostendere vult quæ dictionum naturalis facies sit, si quando illam usus quasi fœcavit. Docet enim esse verum *mediæ* dies, cum sit *medius* dies, etsi *meridiem* omnes dicimus. Camerar.

1 Tri-

tur discernere, ut cum ¹ *Triquetram* dici Siciliam, an *Triquedram*: *meridiem*, an *medidiem* oporteat, quæritur, aliaque quæ consuetudini serviunt. Continet autem in se multam eruditionem, sive illa ex Græcis orta tractemus, quæ sunt plurima, præcipueque ² *Æolica* ratione (cui est sermo nostro simillimus) declinata: sive ex historiarum veterum notitia, nomina hominum, locorum, gentium, urbium requiramus, unde *Bruti*, *Publicola*, ³ *Pici*: cur *Latium*, Italia, ⁴ *Beneventum*: quæ *Capitolium*, ⁵ collem *Quirinalem*, & *Argiletum* appellandi ratio. ⁶ Jam illa minora, in quibus maxime studiosi ejus rei fatigantur, qui verba paulum declinata, varie & multipliciter ad veritatem reducunt, aut correptis aut porrectis, aut adjectis aut detractis, aut permutatis literis syllabisve. Inde pravis ingeniis ad fœdissima usque ludibria dilabuntur: ⁷ sitne *Consul* à consulendo, an à judicando: nam & hoc *consulere* veteres appellaverunt: unde adhuc remanet illud, *Rogat, boni consulas*: id est bonum judices. *Senatui* nomen dederit ætas: nam iidem *Patres*

¹ *Triquetram dici Siciliam.*] Cosmographi omnes ajunt triangularem esse Siciliæ formam, ideoque *triquetram* appellari à dictione *ἑδρα*, id est, sede & latere. Cic. in Orat. Turneb.

² *Æolica ratione.*] Romani ab Æolibus oriundi sunt, ideoque lingua Romana in plerisque Æolicam imitatur. nam ab ea sumpsit digamma Æolicum, quo crebro utitur. Turneb. *Æolica.*] Ut mutatio *σ* in breve *υ*, & interpositio *ρ*, pro consonante. ut *ορνυ*, *ορϋς*, *Δαυρϋς*. Camerar.

³ *Pici.*] Ajunt Picum regem Italiæ ita appellatum fuisse, quod primus *Pico Marti* nomen imposuerit, ut à Pico Martio dictus sit. Turneb. *Pici.*] Pythici.

⁴ *Beneventum.*] *Beneventum* oppidum est in Samo, quod cum antea *Maleventum* appellaretur, Romani cum illuc coloniam deduxissent, per *euphonismum* postea *Beneventum* appellarunt. Turneb.

⁵ *Collem Quirinalem.*] *Collis Quiri-*

nalis appellatur à Sabinis illis qui *Curites* dicebantur vel *Quirites*, Romamque cum Tatio venerant, & in illo colle castra posuerant. Ita Varro, Idem.

⁶ *Jam illa minora.*] Hic tacito nomine Fabius notat Varronem, qui hæc de re libros tres scripsit *ad Ciceronem*, totidem *ad Septimium*. notat quoque alios, qui omnia pene verba ad etymologiam revocabant, quod quidem ortum videtur à Platone, qui in Cratylo nullum nomen esse impositum putavit absque ratione & causa. Idem.

⁷ *Sitne consul.*] Aliquando Romæ iidem fuerunt *prætores, consules, judices*, ut meminit Cicer. lib. tertio *de legibus*: tamen initio consulatus (ut meminit Livius lib. tertio ab urbe) *prætores* duntaxat appellabantur & *consules*, sequentibus deinde annis etiam *judices*; quod satis indicat non appellatos fuisse à judicando. Idem.

κ *Classis*

tres sunt: & *Rex, rector*: & alia plurima indubitata. Nec ab-
 nuerim *tegula, regulaeque*, & similia his, rationem. Jam
 sit & ¹ *classis* à calando, & *lepus levipes*, & *vulpes volipes*.
² etiamne à contrariis aliqua sinemus trahi? ut *lucus*, quia
 umbra opacus, parum luceat? & ³ *ludus*, quia sit longissime
 ab lusu? & *dis* quia minime dives? ⁴ Etiamne *hominem* ap-
 pellari quia sit humo natus? (quasi vero non omnibus ani-
 malibus eadem origo, aut illi primi mortales ante nomen
 imposuerint terræ, quam sibi) & verba ab aëre verberato?
 Pergamus: sic pervenimus eousque ut *stella*, luminis stilla
 credatur: cujus ⁵ etymologiae auctorem, clarum sane in lite-
 ris, nominari ea parte qua à me reprehenditur, inhumanum
 est. Qui verò talia libris complexi sunt, nomina sua ipsi
 inscripserunt, ingenioseque sibi visus est Cajus ⁶ Granius
cœlibes dicere veluti cœlites, quod onere gravissimo vacent,
 idque Græco argumento. *nidēs* enim eadem de causa dici
 affirmat. Nec ei cedit Modestus inventione. nam quia
 Cœlo Saturnus genitalia absciderit, hoc nomine appellatos
 qui uxore careant. At ⁷ L. Ælius *pituitam*, quia petat vi-
 tam. Sed cui non post Varronem sit venia, qui *agrum*, quod
 in eò agatur aliquid: & ⁸ *graculos*, quia gregatim volent,
 dictos, Ciceroni persuadere voluit; cum alterum ex Græco
 sit manifestum duci, alterum ex vocibus avium? Sed huic
 tanti fuit vertere, ut *merula*, quia sola volat, quasi *mera vo-*
 lans

¹ *Classis à calando.*] Videatur Justus
 Zinzerlingus Critic. Juvenil. Promulf.
 c. 29. p. 93. Joh. Pontanus ad Macro-
 b. Saturnal. lib. 1. cap. 15. p. 598. Lactant.
 ad Papin. Stat. Thebaid. lib. 3. p. 623.
 Isidorus lib. 19. c. 1. & Parei index Lu-
 cretian.

² *Etiamne à contrariis.*] Fabius etymo-
 logiam reprehendit quæ sit per anti-
 phrasin: quæ sane reprehendenda est,
 nisi fiat per *ὀφνητισμὸν*, ut cum *Eu-*
menides dicuntur *Euria*. Turneb.

³ *Ludus, quia longissime sit ab usu.*] Joh. Passeratius in Propert. Prælect.

p. 384. mavult *lusus*.

⁴ *Anne hominem.*] In hac opinio-
 ne est Lactantius in libro de opificio
 Dei. Turnebus.

⁵ *Etymologiae auctorem.*] Palæmon
 fortasse significatur, Fabii æqualis. Vide
 cap. 6. lib. 1.

⁶ *Granius.*] *Caninius* legit Valla in
 Dialecticis: alii *Gabinus*.

⁷ *L. Ælius.*] Lælius lib. 4. de lingua
 Latina.

⁸ *Graculos.*] Imo *graculi* dicuntur per
 onomatopœiam à vocis sono *gra*. Tur-
 nebus.

I *Quidam*

lans nominaretur. ¹ Quidam non dubitaverunt etymologiae subijcere omnem nominis causam: ut ex habitu, quemadmodum dixi, *longos & rufos*: ex sono, *strepere, murmurare*: etiam derivata, ut à *velocitate* dicitur *velox*: & composita pleraque his similia, quæ sine dubio aliunde originem ducunt, sed arte non egent, cujus in hoc opere non est usus nisi in dubiis. ² Verba à vetustate repetita, non solum magnos ³ assertores habent, sed etiam afferunt orationi majestatem aliquam, non sine delectatione: nam & auctoritatem antiquitatis habent: & quia intermissa sunt, gratiam novitati similem parant. Sed opus est, modò ut neque crebra sint hæc, neque manifesta, quia nihil est odiosius ⁴ affectatione: nec utique ab ultimis & oblitteratis repetita temporibus, qualia sunt ⁵ *topper*, & ⁶ *antigerio*, & ⁷ *exanclare*, & *prosapia*, & ⁸ *saliorum carmina* vix sacerdotibus suis satis intellecta. Sed illa mutari vetat religio, & ⁹ consecratis utendum est. ¹⁰ *Oratio* vero, cujus summa virtus est perspicuitas, quam

II

¹ *Quidam non dubitaverunt.*] Qua in opinione quoque fuit Plato in Cratylo. de nominum autem causis Fabius antea egit. *Turneb.* *Quidam non.*] Supra cap. 4.
² Fabius lib. 8. verbis propriis annumerat vetusta. his uti poterimus, si modice orationi inspergamus, nec à vetustate ultima repetamus, ac præcastrationem addamus. *Turnebus.* *Verba à vetustate repetita.*] Vide hac de re, Fabium lib. 8. c. 3. Agellium lib. XI. cap. 7. Schottum in Senec. lib. 4. Controv. 25. p. 181. Cresolsum Vacat. Autumn. lib. 3. p. 576. &c. Johan. Savaronis Comment. ad Sidon. lib. I. Epist. I. p. 3. & lib. 4. Epist. 4. p. 230. & lib. 8. Epistol. 16. p. 530. Joh. Lud. Strebæi De Elest. & Orat. Colloc. verb. lib. I. c. 11. p. 54. Ger. Vossii Orat. Institut. lib. 4. cap. 1. &c. ubi copiosissime de *Elegantia Latini sermonis* agit, Frid. Taubmanni Dissert. de Ling. Latina. *Verba à vetustate, &c.*] Nihil ex veterum scriptis habens neque gratiæ, neque dignitatis, inquit Agellius de Seneca, dum quo-

rundam de ipso iudicium profert, cap. 2. l. II. *Pithæus.*

³ *Assertores.*] Intelligit *Antiquarios*: qui duplices sunt. Nam aut exoletas jam & reconditas voces aucupantur, cujusmodi fuit Tiberius *Cæsar* & *M. Antonius*: aut antiquitatem nondum penitus exoletam in usum reducunt, cujusmodi fuit Sallustius. *Turnebus.*

⁴ *Affectatione.*] Hoc intelligendum est de *cacozelia*, quæ vitium est elocutionis omne contra virtutem, quando iudicium fallitur specie boni. *Idem.*

⁵ *Topper.*] Cito. *Camerar.*

⁶ *Antigerio.*] Valde.

⁷ *Exanclare.*] Hoc tamen verbo Cic. est usus in Tuscul. & in lib. de finibus, *Turneb.*

⁸ *Saliorum.*] Festus Pompejus ait *versus Saliares* appellari *axamenta*. decantabantur autem per urbem cum tripudiis à Saliis, sed vix intelligebantur propter vocabulorum antiquitatem. *Idem.*

⁹ *Consecratis.*] P. *Congregatis.*

¹⁰ *Orationis summa virtus perspicuitas.*]

E

Elegan-

quam sit vitiosa si egeat interprete? ¹ Ergo ut novorum optima erunt maxime vetera, ita veterum maxime nova. Similis circa auctoritatem ratio. Nam etiam si potest videri nihil peccare, qui utitur iis verbis ² quæ summi auctores tradiderunt, multum tamen refert non solum quid dixerint, sed etiam quid persuaserint. Neque enim ³ *tuburchinabundum* & *lurchabundum* jam in nobis quisquam ferat, licet Cato sit auctor: nec *hos lodices*, quanquam id Pollioni placeat: nec ⁴ *gladiola*, atqui Messala dixit: nec *parricidatum* quod in Cælio vix tolerabile videtur: nec *collos* mihi ¹² Calvus persuaserit: quæ nec ipsi jam dicerent. ⁵ Superest igitur ⁶ consuetudo: nam fuerit pene ridiculum malle sermonem quo locuti sunt homines, quam quo loquantur. Et sane quid est aliud *vetus sermo*, quam vetus loquendi consuetudo? Sed huic ipsi necessarium est iudicium, constituendumque in primis, id ipsum quid sit, quod *consuetudinem* vocemus. Quæ si ex eo quod plures faciunt, nomen accipiat, periculosissimum dabit præceptum, non orationi modo, sed (quod majus est) vitæ. Unde enim tantum boni, ut pluribus quæ recta sunt placeant? Igitur ut *velli*, ⁷ & *comam in gradus frangere*, & *in balneis perpotare*, quamlibet ⁸ hæc inva-

Eleganter Just. Lipsius Epistol. Institut. cap. 8. p. 1067. Et vide Agellium lib. 1. cap. 10.

¹ Ergo ut.] Videtur hoc positum esse per *antimetabolen*. est autem sensus, ex verbis novis ea optima erunt, quæ jam usurpata fuerunt ab eruditis: ex veteribus vero, quæ quandam novitatis gratiam habebunt, non tamen insolentem auribus nostri seculi. Turneb.

² Quæ summi auctores.] Erasmus tamen putat nullam esse fugiendam dictionem quæ apud idoneum auctorem reperitur. Idem.

³ *Tuburchinabundum*.] Tuburcinari, de suo: Lurcinari, helluari. Camer.

⁴ *Gladiola*.] Varro annotat, veteres dixisse *gladius* & *gladium*, inde *gladiola*

finxit Messala. Turneb.

⁵ Cum ostenderit Fabius nec semper *analogiam* nos sequi debere, nec vultustatem æmulari, nec auctoritatem sequi: hic docet loquendi formulam pendere à consuetudine. ne quis tamen hoc nomine falleretur, aphorismo distinxit quid *consuetudinem* appellet. Turneb.

⁶ *Consuetudo*.] De consuetudine vide Gellium lib. 1. cap. 10.

⁷ *Et comam in gradus*.] Videtur notare Quintil. quoddam tonsuræ genus, quod fiebat capillis gradatim sectis: hæc tonsura videtur appellari à Martiale *epaphæresis*. Turneb.

⁸ *Hæc invaserint civitatem*.] Vitia concipiunt ipsi & ea infundunt in civitatem. Cic. de legib. *Pithæus*.

I Lapa-

invaserint civitatem, non erit consuetudo, quia nihil horum caret reprehensione: at ¹ *lavamus & tondemus & convivimus* ex consuetudine: sic in loquendo, non si quid vitiose multis infederit, pro regula sermonis accipiendum erit. Nam ut transeam quemadmodum vulgo imperiti loquuntur, tota sæpe theatra, & omnem Circi turbam exclamasse barbare scimus. ² Ergo consuetudinem sermonis, vocabo consensum eruditorum: sicut vivendi, consensum bonorum.

¹ *Lavamus.*] In vetustis codicibus legitur, *lavamus & tondemus*, quæ loquendi ratio & elegantior est, & Fabio aptior. *Turneb.*

² *Ergo.*] Conclusio est epiphonemata, quæ quid consuetudinis nomine intelligat ostendit. *Idem.*

C A P. VII.

De Orthographia.

Nunc quoniam diximus quæ sit loquendi regula, dicendum quæ scribentibus custodienda: quod Græci *ὀρθογραφίαν* vocant, nos *recte scribendi scientiam* nominemus.

¹ Cujus ars non in hoc posita est, ut noverimus quibus quæque syllaba literis constet (nam id quidem infra grammatici officium est) sed totam, ut mea fert opinio, subtilitatem in dubiis habet: ² ut longis syllabis omnibus apponere ³ apicem, ineptissimum est, quia plurimæ natura ipsa verbi quod scribitur patent: sed interim necessarium, cum eadem litera alium atque alium intellectum, prout correpta vel producta est, facit, ut *malus*: utrum arborem significet, an hominem non bonum, apice distinguitur. *Palus* aliud

priore

Prior grammaticæ pars, quæ appellatur *methodice*, complectitur *ὀρθότητιαν*, id est recte loquendi formulam, de qua dictum est: & *orthographiam*, id est recte scribendi scientiam, de qua nunc agit. *Turneb.*

¹ *Cujus ars.*] *Orthographiæ* ars non est posita in literis syllabarum, nisi cum docetur à literatore. nam grammati-

cus subtiliora quædam persequetur. *Idem.*

² *Ut longis syll. &c.*] *Apicem* appellat Fab. *virgulam* extensam, quam Græci vocant *μωρογόν*, qua non semper utendum est scribendo, nisi differentiæ & distinctionis causa. *Idem.*

³ *Apicem.*] Quando apicis appositio necessaria.

priore syllaba longa, aliud sequenti significat: ¹ & cum eadem litera nominativo casu brevis, ablativo longa est, utrum sequamur, plerunque hac nota monendi sumus. ² Similiter putaverunt illa quoque servanda discrimina, ut *ex* præpositionem si verbum sequeretur *specto*, adjecta secundæ syllabæ *s* litera, *expecto*: sed si *pecto*, remota *s* scriberemus. Illa quoque servata est à multis differentia, ut *ad*, cum esset præpositio, *d* literam: cum autem conjunctio, *t* acciperet. Item *cum* si *tempus* significaret, per *q*: si *comitem*, per *c*: si vero *causam*, per *q*, ³ ac duas sequentes *uu*, scriberetur. Frigidiora his alia, ut quicquid, *c* quartam haberet, ne interrogare bis videremur. Et *quotidie*, non *cotide*, ut sit, quot diebus. ⁴ Verum hæc jam inter ipsas ineptias evanuerunt. Quæri solet in scribendo, præpositiones, sonum quem ⁵ junctæ efficiunt, an quem separatæ, observare conveniat, ut cum dico, *obtinuit*. secundam enim *b* literam ratio poscit, aures magis audiunt *p*. Et in *munis*, illud *n*, quod veritas exigit, sequentis syllabæ sono victum, *m* gemina commutatur. ⁶ Est etiam in dividendis verbis observatio,

me-

¹ *Et cum eadem.*] Non solum in diversis dictionibus est *apex* notandus, verum etiam in eadem, cum sub eadem terminatione syllabam modo longam, modo brevem habet, ut in nomine *Musa*. *Turneb.*

² *Similiter putaverunt.*] Ex præpositio (ut scribit Priscianus) jungitur in compositione cum omnibus vocalibus, & quatuor consonantibus, *c, p, t, s*. Fab. tamen hic innuit nunquam cum *s* jungi, nisi differentia causa. *Idem.*

³ *Ac duas sequentes uu, scrib.*] Valla tamen non putavit opus esse *uu*, geminata, quod apud Latinos non soleat ea litera geminari & quotiens alia vocalis ponitur, ideo ponitur, quod aliquid facit, ut in *sequeris sequitur*; aut ne differre videatur ab aliis sui generis personis & alio numero, ut in *insequor, loquor, sequere, sequitur, sequimur*. *Pithæus.*

⁴ *Verum hæc.*] Fab. non videtur approbare illis *orthographia* superstitiones, ac sentire videtur etiam *quotidie* optime scribi per *c*, & *quicquid* per *d*, & quum per *c*. *Turneb. Verum hæc.*] Vide Vallam lib. 6. cap. 60.

⁵ *Junctæ efficiunt.*] *Ob* in compositione cum habet sequentes quasdam consonantes, ut *t*, illic *b* sonare videtur ut *p*: itaque quærit Fab. an scribere oporteat per *p*. *Turneb.*

⁶ *Est etiam in dividendis.*] Suedet Fab. in scribendo, ut cum venerimus ad finem versus, si verbum secare oporteat, spectemus ejus compositionem, & ad quam syllabam pertineant consonantes. quod item intelligendum est in dictionibus simplicibus hoc modo, ut si consonantes duas aut plures habeant, quæ aliam dictionem inchoare possint, eas scribendo complectamur: sin autem dictionem inchoare non poterunt, dividamus.

mediam literam consonantem priori an sequenti syllabæ adjungas. *Aruspex* enim, quia pars ejus posterior à *spectando* est, *s*, literam tertiæ dabit: ¹ *abstemius*, quia ex abstinentia temeti composita vox est, primæ relinquetur. ² Nam *K*, quidem in nullis verbis utendum puto, nisi quæ significat, etiam ut sola ponatur. Hoc eo non omisi, quod quidam eam quoties *a* sequatur necessariam credunt: cum sit *c* litera, quæ ad omnes vocales vim suam perferat. Verum orthographia quoque consuetudini servit, ideoque sæpe mutata est. ³ Nam illa vetustissima transeo tempora, quibus & pauciores literæ, nec similes his nostris earum formæ fuerunt, & vis quoque diversa: ⁴ sicut apud Græcos *o* literæ, quæ interim longa ac brevis, ut apud nos: interim pro syllaba quam nomine suo exprimit, posita est: ⁵ ut Latinis veteribus *d* plurimis in verbis ultimam adjectam: quod manifestum est etiam ex ⁶ columna rostrata quæ est *C. Duellio* in foro posita. Interim *g* quoque, ut in pulvinari Solis qui colitur juxta ædem Quirini, *vesperug*: quod *vesperuginem* accipimus. ⁷ De mutatione etiam literarum, de qua

supra

vidamus. appellaturque *diastasis* & *syllapsis*. Idem.

¹ *Abstemius*, &c.] Vide Barthium *Adversar.* lib. 3. cap. 3. p. 108. *Lexicon Philologic.* Martinii.

² *Nam K quidem*.] *K* Litera, ut testatur *Prisc.* est supervacua, tamen antiqui scribendi compendio utebantur, & hæc litera sola *Calendas* significabant, & *caput*, ut ait *Probus. Turneb.* *Nam K quidem in nullis, &c.* *Auson.* *Hæc tribus in Latio tantum addita nominibus K. Karthago, Kalendæ, Kalumma. Pithecus.*

³ *Nam illa vetustissima*.] Antiqui Latini duntaxat habuerunt sedecim literas, quas à Græcis mutuati sunt: ac certè Græcis literis figura non absimiles erant. *Depravatissimus est hic locus. Turnebus.*

⁴ *Sicut apud Græcos*.] Apud Græcos olim vocales omnes erant ancipites, postea *Simonides* adjecit *n* & *ω*. Idem.

⁵ *Ut Latinis veteribus*.] *C. Duellius* primus *Carthaginenses* bello navali superavit. ideo in victoriæ monumentum posita est columna cum rostris navium, cum hæc inscriptione, *Dicata columna Duellio fortitud. ergo.* nam antiqui ita verba scribendo corripiebant, ac forte in nonnullis ut scribebant pronuntiabant. inde apud *Ennium* scribitur *volup*. Idem.

⁶ *Columna rostrata, quæ est C. Duellio*.] *Scribe, quæ est Duellio in foro posita.* Vide *Just. Lipsium Antiq. Lectio.* l. 2. c. 14. p. 126. & 127. *Columna rostrata*.] *C. Duillio*, qui primus navalem triumphum egit de *Pœnis*, columna posita est. *Plin.* lib. 34. cap. 5. *Camerar.*

⁷ *De mutatione*.] Uno exemplo satis planum fieri posse arbitror, pronuntiasset veteres compositas cum alia dictione præpositiones non integre; sed eo quaf-

supra dixi, nihil repetere hinc necesse. Fortasse enim sicut scribebant, etiam ita loquebantur. Semivocales non geminare, diu fuit usitatissimi moris: atque è contrario usque ad Accium & ultra, porrectas syllabas geminis, ut dixi, vocalibus scripserunt. ¹ Diutius duravit ut, *e, i*, jungendis, eadem ratione qua Græci *ei*, uterentur. ea casibus numerisque discreta sunt, ut Lucillius præcipit, *Jam pueri veneve, e* postremum facito, atque *i*.

Ut pueri plures fiant. ac deinceps idem,

Mendacei fureique addes *e*, cum dare furi Jufferis.

Quod quidem cum supervacuum est, quia *i*, tam longæ quam brevis naturam habet: tum incommodum aliquando. Nam in iis quæ proximam ab ultima literam *e* habebunt, & *i* longa terminabuntur, illam rationem sequentes utemur *e* gemina, qualia sunt hæc, *aureei, argentei*, & similia. ¹ idque iis præcipue qui ad lectionem instituentur, etiam impedimento erit: sicut in Græcis accidit adjectione *i* literæ: quam non solum dativis casibus in parte ultima ascribunt, sed quibusdam etiam interponunt, ut in *ληϊστής*, quia etymologia ex divisione inter ³ syllabas facta, desideret eam literam. ⁴ *ei* syllabam, cujus secundam nunc *e* literam ponimus, varie per *a* & *i* efferebant, quidam semper ut Græci: quidam singulariter tantum, cum in dativum vel genitivum casum incidissent, unde *πίκται vestis, & aquai*, ⁵ Virgilius amantissimus vetustatis, carminibus inseruit. In iisdem plurali nume-

que sono, quem sequens litera desideraret. Sic enim apud Plautum vocanti servus respondet: *Assum*. Tum ille; At ego elixus sis volo. *Cameras*.

¹ *Diutius duravit.*] In nominibus secundæ declinationis antiqui genitivum scribebant per *i*, nominativum pluralem per *ei*: in tertia vero declinatione dativum singularem per *ei*. nunc quoque pluralem nominativum & activum scribimus per *ei*. *Turneb.*

² *Idque iis præcipue.*] Omnes dativi singulares quatuor priorum declina-

tionum apud Græcos habent *i*, & diphthongus quoque impropria interferitur interdum dictioni, quæ olim non habebat subscriptum *i*, sed adscriptum. ut *ληϊστής*. *Turneb.*

³ *Syllabas.*] In trisyllabis.

⁴ *At syllabam.*] Antiqui genitivos & dativos primæ declinationis per diphthongum *ei* efferebant: unde cum genitivus solvitur per diæresin, scribitur *ei*. alioqui veteres in nominativo plurali scribebant *ae*. *Idem*.

⁵ *Virgilius.*] *Æn.* lib. 7. & 9. Vide *Cœlium*

numero *e* utebantur, *hi Sylla, Galba*. Est in hac quoque parte Lucillii præceptum: quod quia pluribus explicatur versibus, si quis parum credat, apud ipsum in nono requirat. Quid quod Ciceronis temporibus, paulumque infra, fere quoties *s* litera media vocalium longarum, vel subiecta longis esset, geminabatur? *ut caussa, cassus, divisiones*: quo modo & ipsum, & Virgilium quoque scripsisse, manus eorum docent. Atqui paulum superiores, etiam illud quod nos gemina *s* dicimus *jussi*, una dixerunt, *jusi*. ¹ Etiam *optimus, maximus*, ut mediam *i* literam, quæ veteribus *u* fuerat, acciperent, C. primum Cæsaris inscriptione traditur factum. *Here*, nunc *e* litera terminamus: at veterum Comitorum adhuc libris invenio, *Heri ad me venit*. Quod idem ² in epistolis Augusti, quas sua manu scripsit, aut emendavit, deprehenditur. Quid? non Cato Censorius, *dicam & faciam*, ³ *dicem & faciem* scripsit? eundemque in cæteris quæ similiter cadunt, modum tenuit? quod & ex veteribus ejus libris manifestum est, & à Messala ⁴ in libro de *s* litera positum. *Sibe & quase*, scriptum in multorum libris est: sed an hoc voluerint auctores, nescio: T. Livium ita his usum, ex Pediano comperi, qui & ipse eum sequebatur. hæc nos *i* litera finimus. Quid dicam *vortices*, & *vorsus*, cæteraque ad eundem modum, quæ primo Scipio Africanus in *e* literam secundam vertisse dicitur? ⁵ Nostri præceptores *cervom servomque*, *u* & *o* literis scripserunt, quia

Coelium lib. 14. cap. 39. & Politianum Miscellan. c. 48.

¹ *Etiam optimus.*] Apud antiquos, ubi scribimus in media dictione breve, *u* scribebatur, ita tamen ut in pronunciatione medius sonus inter *i* & *u* audiretur. *Turneb.*

² *In epistolis Augusti.*] Quæ per ea tempora in cruditorum manibus adhuc versabantur. Sueton. August. c. 87. Jan Rutgerius Var. lection. libro 2. p. 148.

³ *Dicem & faciem.*] Vett. *dicæ & fa-*

ciæ. Sex. Pomp. *Recipie* apud Catonem, pro *recipiam*, ut alia ejusmodi complura. *Pithæus.*

⁴ *In lib. de s litera.*] Messala Corvinus eximius orator etiam libros integros de singulis elementis scripsit. *Turn.*

⁵ *Nostri præceptores.*] Antiqui frequenter *o* pro *u* utebantur. ac Fabii præceptores cum scirent accusativum terminari in *um*, tamen cum præcedebat digamma Æolicum, mutabant alterum *u* in *o*. Idem.

quia subjecta sibi vocalis, in unum sonum coalescere, & confundi nequiret: nunc *u* gemina scribuntur, ea ratione quam reddidi: neutro sane modo vox quam sentimus, efficitur. Nec inutiliter ¹ Claudius Æolicam illam ad hos usus *F* literam adjecerat. ² Illud nunc melius, quod, cuius tribus quas proposui literis enotamus: in quo pueris nobis, ad pinguem sane sonum, ³ *qu* & *oi* utebantur, tantum ut ab illo *qui*, distingueretur. Quid, quæ scribuntur aliter quam enuntiantur? Nam & Gajus *C* litera notatur, ⁴ quæ inversa *o* mulierem declarat: quia tam *Cajas* esse vocitatas, quam *Cajos*, etiam ex nuptialibus sacris apparet. Nec *Cneus* eam literam in prænominis nota accipit, qua sonat: ⁵ & *columna* exempta *n* litera, & *Consules*, geminata *s* litera *Coss.* legimus: & ⁶ *Suburra* quum tribus literis notatur, *c* tertiam ostendit. Multa sunt generis hujus: sed hæc quoque vereor ne modum tam parvæ quæstionis excesserint. Judicium autem suum Grammaticus interponat his omnibus. Nam hoc valere plurimum debet. Ego (nisi quod consuetudo obtinuerit) sic scribendum quicque judico, quomodo sonat.

Hic

¹ *Claudius.*] Suetonius tradit trium literarum figuras excogitasse Claudium, ex quibus Æolici digamma una, & ⁴ duplicis altera fuit, *qu* & *oi* utebantur. *Turneb.* *Cambrar. Claudius.*] *Supra c. 4.*

² *Illud nunc melius.*] Veteres qui scribebant in nominativo & dativo, ut scribit Terentianus: postea differentiarum causa dativus per *c* scriptus est. nonnulli tamen cum retinere vellent antiquum dativum, adjiciebant differentiarum causa *o*, ac dicebant *quoi*. *Turneb.*

³ *Qu & oi utebantur.*] Vide *Polit. cap. 89. miscel. Geneus Sexto Pompeio* scribitur à generando.

⁴ *Quæ inversa.*] Alludit Fab. ad consuetudinem antiquam, cujus meminit in problematibus Plutarchus. *Nova enim nupta cum ad ædes mariti venerat, dicebat, ubi tu Cajas?* ac veteres, ut Cic. notat in oratione pro Muræna, appellabant *Cajas* mulieres illas quæ cœmptio-

nem fecerant. *i* in mariti manum convenerant. quod ductum est à *Caia* *Cæcilia* uxore *Tarquini* *Prisci*, quæ optima fuit lanifica & opima materfamilias. *Turneb.*

⁵ *Et columna exempta n.*] Vel antiqui integrum nomen *columnam* absque *n* scribebant, unde dicitur *columnella*: vel cum notis scriberent, notabant duntaxat *colum*, affixo puncto. *Idem.*

⁶ *Et Suburra.*] *Suburra* regio est urbis quæ dicitur à pago *Succusano*, ut ait *Varro*: vel (ut alii volunt) à succurrendo, quia illic semper erat stativum præsidium. itaque antiqui cum scriberent notis *Suburram*, etymologiam spectantes scribebant *Suc.* adposito puncto. *Turneb.* *Et Suburra cum tribus literis notatur.*] Nam cum literarum compendio scribebatur & tanquam notabatur *Suc* notatum *Suburam* significabat. *Turneb. Adverf. lib. 20. cap. 35.*

i Depost-

Hic enim usus est literarum, ut custodiant voces, & velut depositum reddant legentibus. itaque id exprimere debent, quod dicturi sumus. ² Hæ fere sunt emendate loquendi scribendique partes: duas reliquas, significanter ornateque dicendi, non equidem grammaticis aufero: sed cum mihi officia Rhetoris supersint, majori operi reservo. Redit autem illa cogitatio, quosdam fore, qui ³ hæc quæ diximus, parva nimium, & impedimenta quoque majus aliquid agendi, putent. Nec ipse ad extremam usque anxietatem, & ineptas cavillationes descendendum, atque his ingenia concidi & comminui credo. Sed nihil ex grammatica nocuerit, nisi quod supervacuum est. An ideo minor est M. Tullius orator, quod idem artis hujus diligentissimus fuit, & in filio (ut in epistolis apparet) recte loquendi usquequaque asper quoque exactor? Aut vim C. Cæsaris fregerunt editi *de analogia* libri? Aut ideo minus Messala nitidus, quia quosdam totos libellos non de verbis modo singulis, sed etiam literis dedit? ⁴ Non obstant hæc disciplina per illas euntibus, sed circa illas hærentibus.

¹ *Depositum reddant.*] Elegans est metaphora, sumpta à depositariis, quorum fidei res nostras committimus, ut eas postea recipiamus, quemadmodum & literis committimus voces & asser-

vandas damus. *Turneb.*
² *Hæ fere sunt.*] Epilogus. *Idem.*
³ *Hæc quæ.*] Lib.8.
⁴ *Non obstat.*] Claudii epiphonemate hoc caput Fabius. *Turneb.*

C A P. VIII.

De lectione pueri.

¹ Superest lectio, in qua puer ut sciat ubi suspendere spiritum debeat, quo loco versum distinguere, ubi claudatur

Alteram Grammatices partem *Exegeticen* pertractat. ea autem est posita in poetarum enarratione, sed tamen enarrationem præcedit emendata lectio: quocirca ab hac inceptit. Faciunt hic quæ tractantur à Quintil. lib. xi. *de pronuntiatione.* *Turneb.*

¹ *Superest, &c.*] Artes lectionis Victorino & Diomedii. *Accentus*, idest, u-

niscujusque syllabæ pronuntiandæ in sono qualitas. *Distinctio*, confusarum significationum per plana significatio. *Pronuntiatio*, secundum personas accommodata similitudo. *Modulatio*, concinnati sermonis in jucundiorum dicendi sermonem artificialis flexus in declinabilem auditus formam conversus asperitatis atque imperitiæ vitandæ causa. *Pith.*

datur sensus, unde incipiat, ¹ quando attollenda vel summittenda sit vox, quid quoque flexu, quid lentius, celerius, concitatus, lenius dicendum, demonstrari nisi in opere ipso non potest. Unum est igitur quod in hac parte præcipiam, ut omnia ista facere possit, intelligat. ² Sit autem ³ in primis lectio virilis, & cum suavitate quadam gravis: & non quidem prosæ similis, quia carmen est, & se ⁴ poëta canere testantur: ⁵ non tamen in canticum dissoluta, nec ⁶ plasmate (ut nunc à plerisque fit) effœminata. de quo genere optime C. Cæsarem prætextatum adhuc accepimus dixisse: *Si cantas, male cantas: si legis, cantas.* ⁷ Nec profopœias, ut quibusdam placet, ad comicum morem pronuntiari velim, esse tamen flexum quendam, quo distinguantur ab iis in quibus poëta persona sua utetur. ⁸ Cætera admonitione magna egent: in primis, ut teneræ mentes,

tra-

¹ *Quando attollenda.*] Nihil enim potest deterius esse in lectione, quam *ὀυβῆγία*, quæ est par & æqualis vocis & spiritus intentio. itaque vox interdum flectenda est, interdum erigenda per *ἀρσιν*, interdum submitteunda per *ἵεσιν*. *Turneb.*

² *Sit autem.*] Etsi videbam cuius facile apparere incuria librariorum, dictionem hanc *Poëtarum*, omissam: tamen nolui locum à nobis correctum non suffragantibus exemplaribus ullis, signare. Cæterum *plasma* significat vocis quasi colliquationem apud Persium, ipsum collyrium accipiunt: *Liquido cum plasmate guttur Mobile coluerit.* *Camerar.*

³ *In primis lectio.*] Poëtarum in primis lect. Vide Cœlium Rhodigin. l. 5. cap. 24.

⁴ *Poëta canere.*] Censorinus ait *metrica* conjunctam esse *metricam*. itaque debemus obscuro quodam cantu carmina pronunciare, non tamen ut cantare videamur: nam & Cic. quoque rhetores Carix & Phrygiæ reprehendit quod in epilogis cantare videantur. *Turneb.*

⁵ *Non tamen in cantic. diff. nec plas-*

mate.] Hanc vocis mollitudinem, ut minime viro convenientem, acri etiam aceto diluit Persius, in hæc verba: --- *vocem Eliquat & tenero supplantat verba palato.* Vide ibi commentatores. ut & Ludovic. Cresollium vacat. *Autum. lib. 3. p. 476. &c. quem consule, & Cœl. Rhodigin. Lect. Antiq. lib. 9. c. 4. & 5. p. 386. &c.*

⁶ *Plasmate.*] *Plasma* interpretantur portionem quandam quæ faucium scabritiem tollat, & vocem liquidiorum reddat. Alii pro vocis mollitudine accipiunt, quæ dedita opera sic effingatur. *Turneb.*

⁷ *Nec profopœias.*] *Profopœias* hinc appellat Fab. cum poëta personis aliis orationem accommodat, nec ex sua persona loquitur. hoc autem fieri solet in poëtico dramático & mixto. *Turnebus.*

⁸ *Cætera admonitione.*] Jam quinam ex poëris legendi sint docet, nec solum habet eloquentiæ rationem, verum etiam probitatis morum. qua in re Platonem sequitur, qui vel poëtas non legendos putat, vel eos duntaxat qui honesta scribant. *Idem.*

I Interim

tracturæque altius quicquid rudibus & omnium ignaris infederit, non modo, quæ diferta, sed vel magis quæ honesta sunt, discant: ideoque optime institutum est ut ab *Homero* atque *Virgilio* lectio inciperet: quanquam ad intelligendas eorum virtutes, firmiore iudicio opus esset. sed huic rei superest tempus: neque enim semel legentur. ¹ Interim & sublimitate heroici carminis animus assurgat: & ex magnitudine rerum spiritum ducat, & optimis imbuetur. Utiles *tragædia*. Alunt & *lyrici*: ² si tamen in his non auctores modo, sed etiam partes operis elegeris. Nam & Græci licenter multa, & *Horatium* in quibusdam nolim interpretari. *Elegia* vero, utique quæ amat, & ³ hendecasyllaba, quibus sunt commata ⁴ *Sotadeorum* (nam de *Sotadeis* ne præcipiendum quidem est) amoveantur, si fieri potest: si minus, certe ad firmitus ætatis robur reserventur. *Comædia*, quæ plurimum conferre ad eloquentiam potest, cum per omnes & personas & affectus eat, quem usum in pueris putem, paulo post suo loco dicam. Nam cum mores in tuto fuerint, inter præcipua legenda erit. de *Menandro* loquor: nec tamen excluderim alios. ⁵ Nam Latini quoque auctores afferent utilitatis aliquid. Sed pueris, quæ maxime ingenium alant, atque animum augeant, prælegenda:

¹ *Interim & sublimitate.*] Fabius quoque ait à Poëtis duci in rebus spiritum, in verbis sublimitatem, in affectibus motus omnes, in personis decorum: & his de causis potissimum pueris prælegendos putat. *Idem.*

² *Si tamen in iis.*] *Lyrici* novem sunt apud Græcos, sed cum illi multa lasciva & obscæna scripserint, totos poëtas non putat Fab. legendos, sed locos eorum honestiores.

³ *Hendecasyllaba.*] *Hendecasyllaba* appellantur carmina quæ undecim syllabis constant: sed hoc potissimum nomine complectimur versus Phælecius, quales conscripsit Catullus. *Turneb.*

⁴ *Sotadeorum.*] *Versus Sotadici* cre-

bras habent cæsuras, & in sua vestigia retrorsum recurrunt, efficiuntque vel idem carminis genus vel diversum. horum exempla sunt apud Fabium libro nono. Sunt alii quoque versus *Sotadici trochaici acatalectici*. hi porro omnes res obscænas tractant. *Idem.*

⁵ *Nam Latini quoque.*] Græcus sermo præcedit, Latinus subsequitur. Primum itaque legendi sunt pueris Græci, deinde Latini, atque ex his illi qui amplitudinem habebunt, ut *Epici* & *Tragici*. Fabius quoque poëtas in *novos* & *veteres* dividit: in *novi* plausibiliorem esse fatetur eloquentiam, in *veterebus* castiorem, & majorem quoque dispositionem. *Idem.*

¹ *Oecon-*

genda: cæteris quæ ad eruditionem modo pertinent, longa ætas spatium dabit. Multum autem veteres etiam Latini conferunt, quanquam plerique plus ingenio quam arte valuerunt. in primis copiam verborum, quorum in tragædiis gravitas, in comædiis elegantia, & quidam velut *ἀριστομῆς* inveniri potest. ¹ *Oeconomia* quoque in his diligentior, quam in plerisque novorum erit, qui omnium operum solam virtutem sententias putaverunt. Sanctitas certe, & ut sic dicam, virilitas ab his petenda, quando nos in omnia deliciarum genera vitiaque, dicendi quoque ratione defluximus. ² Denique credamus summis oratoribus, qui veterum poemata, vel ad fidem caussarum, vel ad ornamentum eloquentiæ assumunt. Nam præcipue quidem apud ³ Ciceronem, frequenter tamen apud Asinium etiam, & cæteros, qui sunt proximi, vidimus *Ennii*, *Accii*, *Pacuvii*, *Lucillii*, *Terentii*, *Cæcili*, & aliorum inferi versus, summa non eruditionis modo gratia, sed etiam jucunditatis: cum poëticis voluptatibus aures ⁴ à forensi asperitate respirent. quibus accedit non mediocris utilitas, cum sententiis eorum velut quibusdam testimoniis, quæ proposuere ⁵ confirmant. Verum priora illa ad pueros magis, hæc sequentia ad robustiores pertinebunt: cum grammatices amor, & usus lectionis, non scholarum temporibus, sed vitæ spatio terminentur. In prælegendo grammaticus & illa quidem minora præstare debet, ut partes orationis reddi sibi soluto versu desideret, & ⁶ pedum proprietates: quæ adeo debent

¹ *Oeconomia.*] *Oeconomia* hujusmodi est rerum distributio, ut omnia inter se quadrent, nec pugnent priora cum posterioribus. à Sulpitio Victore appellatur *dispositio artificiosa*, quæ à consilio poëta pendet. *Idem. Oeconomia.*] Id est, ordo & dispositio quædam argumenti. *Camerar.*

² *Denique.*] Probat veteres præferendos novis auctoritate oratorum. *Turneb.*

³ *Ciceronem.*] Pro Cœlio, pro Cor.

Balbo, in Antonium, in Pisonem.

⁴ *A forensi asperitate.*] Petronius: Sic forensibus ministeriis exercitati frequenter ad carminis tranquillitatem tanquam ad portum refugiunt. *Vet. Comm. in Virg. Eclog.* Alfenus Varus licet Jurisconsultus & successor Servii Sulpitii etiam carmina aliqua composuisse dicitur. *Pitbæus.*

⁵ *Confirmant.*] Hac de re libro quinto cap. de exemplis. *Turneb.*

⁶ *Pedum proprietates.*] Per pedum proprie-

debent esse notæ in carminibus, ut etiam in oratoria compositione desiderentur: deprehendatque quæ barbara, quæ impropria, quæ contra legem loquendi sunt posita: non ut ex his utique improbentur poëtæ, (quibus ¹ quia plerunque metro servire coguntur, adeo ignoscitur, ut vitia ipsa aliis in carmine appellationibus nominentur. *metaplasmos* enim, & *schematismos*, & *schemata*, ut dixi, vocamus, ² & laudem virtutis necessitati damus) sed ut commoneat artificialium, & memoriam agitet. Id quoque inter prima rudimenta non inutile, demonstrare quot quæque verba modis intelligenda sint. ³ Circa *glossemata* etiam, id est voces minus usitatas, non ultima ejus professionis diligentia est. Enimvero jam majore cura doceat *tropos* omnes, quibus præcipue non poëma modo, sed etiam oratio ornatur: *schemata* utraque, id est *figuras* quæque *λέξεις*, quæque *διανοίαις* vocantur: quorum ego, sicut troporum tractatum, in eum locum differo, quo mihi de ornatu orationis dicendum erit. Præcipue vero illa infigat animis, quæ in œconomia virtus, quæ in ⁴ decoro rerum: quid personæ cuique convenerit: quid in sensibus laudandum, quid in verbis: ubi copia probabilis, ubi modus. His accedat enarratio historiarum, diligens quidem illa, non tamen usque ad supervacuum laborem occupata. Nam receptas, aut certe claris auctoribus memoratas exposuisse satis est. Persequi quidem

proprietates vel simpliciter intelligit ipsos pedes, vel (quod magis videtur) pedum naturam: nam ex his quidam sunt graviore, ut *spondeus*: quidam celebriores, ut *tribrachus*: quidam humiliores, ut *jambus*. Hoc autem in posterum puero conducet, cum pro horum pedum ratione orationem temperare debuerit. *Idem.*

¹ *Quibus quia.*] Non imputatur poëtis *barbarismus* & *solæcismus*, ac in poëmate *barbarismus* appellatur *metaplasmus* id est, transformatio: *Solæcismus* vero *schematismus*, id est figuratio. *Idem.*

² *Laudem virtutis.*] Supra cap. 5. de

virtutibus & vitiis orationis.

³ *Circa glossemata.*] *Glossis* & *glossemata* appellant Græci voces quasdam reconditas, quæ in communi consuetudine non sunt, egentque interpretatione. inde *glossematarii* dicuntur, & *glossularii*. Turneb. *Circa glossemata.*] *Glossematicum* quid sit, copiose docet, Cœlius Rhodigin. *Antiq. lectio. l. 13. cap. 4. pag. 752. &c.*

⁴ *Decoro rerum.*] *Decorum* est apta omnium convenientia cum idonea moderatione. ponitur autem tum in rebus, tum in personis. hujus meminit Fabius lib. xi. cap. de apte dicendo. Turneb.

¹ *Nam*

dem quod quisque unquam vel contemptissimorum hominum dixerit, aut nimiae miseriae, aut inanis jactantiae est: & detinet atque obruit ingenia, melius aliis vacatura. Nam qui omnes etiam indignas lectione schedas excutit, anilibus quoque fabulis accommodare operam potest. Atqui pleni sunt ejusmodi impedimentis grammaticorum commentarii, vix ipsis qui composuerunt, satis noti. ¹ Nam *Didymo* quoque, quo nemo plura scripsit, accidisse comperit, ut cum historiae cuidam tanquam vanae repugnaret, ipsius proferretur liber, qui eam continebat. Quod evenit praecipue in fabulosis usque ad deridicula, quaedam etiam pudenda: unde improbissimo cuique pleraque fingendi licentia est, adeo ut de libris totis, & auctoribus, ut succurrit, mentiatur tuto, quia inveniri, qui nunquam fuere, non possunt. Nam in notioribus frequentissime deprehenduntur à curiosis. ² Ex quo mihi inter virtutes grammatici habebitur, *aliqua nescire*.

¹ Nam *Didymo*.] *Didymus* illustris grammaticus, Alexandrinus, Salsamentarii filius, ad Augusti aetatem pervenit. Scripsisse traditur ter mille & quingentos libros. *Idem*.

² Ex quo.] Paradoxum hoc esse videtur, sed tamen verum si recte intelligatur. nam quanquam grammaticus doctissimus esse debet, tamen inanes hujusmodi fabulas & historias cum ignorare satius est. *Idem*.

C A P. IX.

De officio grammatici, & qua primordia
sint dicendi.

15 **E**T finitae quidem sunt partes duae, quas haec professio pollicetur, id est *ratio loquendi*, & *enarratio auctorum*: quarum illam *methodicem*, hanc *historicem* vocant. Adjiciamus tamen eorum curae quaedam dicendi primordia, quibus

BRevis est epilogus superiorum ad renovandam auditoris memoriam. Addit autem Fabius huic professioni quatuor progymnasmata, *fabulas*, *sententias*, *chrias*: nam *methodologia* chriae spe-

cies est) denique *narratiunculas* poéticas. nam, ut scribit *Tranquillus*, olim grammatici primas rhetoricæ institutiones pueris tradebant, ne illi ad rhetoricum jejuni & aridi venirent. *Turneb.*

1 Igitur

bus ætates nondum rhetorem capientes instituant. ¹ Igitur, *Æsopi fabellas*, quæ fabulis nutricularum proxime succedunt, narrare sermone puro, & nihil se supra modum extollente, deinde eandem gracilitatem stylo exigere condiscant: Versus primo solvere, mox mutatis verbis interpretari: ² tum paraphrasi audacius vertere, qua & breviare quædam, & exornare, salvo modo poëtæ sensu, permittitur. Quod opus, etiam consummatis professoribus difficile, qui commode tractaverit, cuicumque discendo sufficiet. ³ *Sententiæ* quoque & *chriæ* & *ethologia* subjectis dictorum rationibus apud grammaticos scribantur, quia initium ex lectione ducunt. Quorum omnium similis est ratio, forma diversa: quia *sententia* universalis est vox, *ethologia* personis continetur. ⁴ *Chriarum* plura genera traduntur. Unum simile sententiæ, quod est positum in voce simplici, *Dixit ille.* aut, *Dicere solebat.* Alterum, quod est in respondendo: *Interrogatus ille,* vel *Cum hoc ei dictum esset, respondit.* Tertium huic non dissimile, *cum quis non dixisset, sed aliquid fecisset.* Etiam in ipsis factis esse chriam putant: ut ⁵ *Crates*

cum

¹ *Igitur Æsopi.*] Fabulæ quæ *apologi* appellantur, primum ab Hesiodo inventæ sunt, ut scribit Fabius libro quinto. Sed tamen cum ab Æsopo sint celebratæ, usus obtinuit ut *Æsopica* appellerentur. *Idem.*

² *Tum paraphrasi.*] *Paraphrasis* est rei alicujus expositio, cum circa eisdem sensus, ut inquit Fabius libro decimo, æmulamur. Græci auctores ajunt esse *paraphrasin*, narrationis alicujus expositionem neque sublimiorem neque humiliorem: *Metaphrasin* vero expositionem uberiorem & copiosiore, atque adeo ampliorem: *ecphrasin* autem, dilucidam & illustrem enarrationem. *Idem.*

³ *Sententiæ quoque.*] Hæc apud grammaticos aliter tractantur, aliter apud *rhetores*. nam apud rhetoras sua habent capita, ut apud Aphthonium: *Apud grammaticos* vero tractantur adjuncta ra-

tionem, & sententia ipsa ac ejus ratione per omnes casus & numeros variata, quemadmodum perscribit lib. I. Diomedes. *Chria* est commemoratio vel dicti vel facti vel utriusque, quæ ad certam personam refertur. *Ethologia* autem species est chriæ, quæ mores personæ alicujus indicat. *Turneb. Sententiæ quoque & Chriæ.*] Videatur Leopard. *Emend.* I. 3. cap. 7. p. 49. Quid *Chria* sit, docet Fabius lib. I. c. 9. Casaub. lib. I. cap. I. *Animadv. in Athenæum.* Vossius *Instit. Orat.* lib. V. p. 426. Keckerman. *System. Rhetor.* lib. II. p. 242. & c. Dresserus *Rhetor.* lib. I. p. 60. & c. & III. p. 649.

⁴ *Chriarum plura genera.*] Aphthonius chrias dividit in *verbales*, *activas*, & *mixtas*: Fabius in *verbales*, (quæ sunt vel in simplici enunciatione vel in responsione) & in *activas*. *Turneb.*

⁵ *Crates.*] Crates philosophus fuit Thebanus

cum indoctum puerum vidisset, pædagogum ejus percussit. Et aliud pene par ei, quod tamen eodem nomine appellare non audent, sed dicunt ¹ *Χρειῶδες*; ut, ² *Milo quem vitulum assueverat ferre, taurum ferebat.* In his omnibus & declinatio per eosdem ducitur casus, & tam factorum quam dictorum ratio est. ³ Narratiunculas à poëtis celebratas, notitiæ causa non eloquentiæ tractandas puto. Cætera majoris operis ac spiritus, Latini rhetores relinquendo, ⁴ necessaria grammaticis fecerunt: Græci magis operum suorum & onera & modum norunt.

Thebanus discipulus Diogenis Cynici. Hoc autem factum Aphthonius attribuit Diogeni, non Crateti. *Idem. Crates.*] Diogenes. transtulit ex Aphthonio Priscianus. Porro *Χρειῶδες* accipiendum est, *Chriae simile.* Cameraarius.

¹ *Χρειῶδες*] *Χρειῶδες* appellant, quod quanquam *chria* non est, tamen speciem *chriae* præ se ferre videtur, ut exemplum quod subjicit Fabius, videtur esse *chria activa.* Turneb.

² *Milo quem vitulum.*] Adi Franc. Pithæi collectanea ad Petron. pag. 152. Edit. Goldasti.

³ *Narratiunculas à poëtis celeb.*] Nam narrationes historicas relinquit Fabius rhetori. Turneb.

⁴ *Necessaria grammaticis.*] Fabius quoque conqueritur initio lib. 2. quod *rhetores* latini declamationes duntaxat judiciales & deliberativas sibi reservarint, ideoque grammatici cætera rhetorum officia occuparint. *Idem.*

C A P. X.

An oratori futuro necessaria sit plurium artium scientia.

¹⁶ **H**Æc de Grammatica, quam brevissime potui: non ut omnia dicerem sectatus, quod infinitum erat: sed ut maxime necessaria: nunc de cæteris artibus, quibus instituendos prius quam tradantur rhetori, pueros existimo, strictim subjungam, ut efficiatur ¹ orbis ille doctrinæ, quam Græci

Conclusio est superioris tractationis, & transitus ad eas artes docendas, quibus puer anrequam rhetori committatur, institui debet. hinc autem sequitur Platonem Fabius: ille enim statim post grammaticam ut pueri musica & geometria instituatur præscribit. *Idem.*

¹ *Orbis ille doctrinæ, quam ἐγερ- κλοποιδείων, &c.*] Hoc nomine *artes liberales* comprehenduntur sive nexus ille capacissimus omnium disciplinarum. Vide Schotti observat. poet. lib. 2. cap. 1. Lipsii manu duct. ad Stoicam philosoph. lib. 1. Dissertat. 1. & 2. p. 1. &c. & Joh. Wouweren Tractat. de Polymathia, cap. 3. & 24. p. 22. 208. &c.

Ε'γυ-

Græci ¹ ἐγκυκλοπαιδείαν vocant. Nam iisdem fere annis aliarum quoque disciplinarum studia ingredienda sunt: quæ quia & ipsæ artes sunt, & ² esse perfecta sine his orandi scientia non potest, nec rursus ad efficiendum oratorem satis valent solæ: an sint huic operi necessaria, quæritur. Nam quid, inquirunt, ad agendam causam, dicendamve sententiam pertinet, scire quemadmodum in data linea constitui triangula æquis lateribus possint? Aut quo melius vel defendet reum, vel reget consilia, ³ qui citharæ sonos nominibus & spaciis distinxerit? Enumerent etiam fortasse multos, quamlibet utiles foro, qui nec geometrem audiverint, nec musicos nisi hac communi voluptate aurium intelligant. ⁴ Quibus ego primum hoc respondeo, quod & M. Cicero scripto ad Brutum libro frequentius testatur, non eum à nobis institui oratorem, qui sit, aut fuerit: sed imaginem quandam concepisse nos animo perfecti illius, ex nulla parte cessantis. ⁵ Nam & sapientem formantes eum, qui sit futurus consummatus undique, & (ut dicunt) mortalis quidam deus, non modo cognitione cœlestium vel mortalium putant instituendum; sed per quædam parva sane si ipsa demum æstimes, ducunt, sicut exquisitas interim ambiguitates: ⁶ non quia * *Ceratina* aut

CROCO-

1 *Εγκυκλοπαιδείαν.*] *Εγκυκλοπαιδεία*, quæ etiam dicitur *ἐγκύκλιος*, Id est disciplina orbiculata, quædam est disciplinarum series, quæ ostendit inter omnes artes esse conjunctionem quandam & communionem. Turneb.

2 *Esse perfecta.*] Alias, esse & perfecta sine orandi scientia possunt, nec rursus, &c.

3 *Qui citharæ sonos, &c. distinxerit.*] Jan. Gebhard. Crepund. lib. 2. c. 3. p. 63. ex Mss. Palat. reponit: *Qui citharæ sonos nom. & spat. defixerit. Desigere, figendo distribuere est, & non tam ἀσπίζεν, quam certis quibusdam ἀποδια-*

σελεύς & ἀφορισμοῖς figere. Vide Fabium lib. 5. cap. 10. Nam ut cantus vocis, &c.

4 *Quibus.*] *Anthypophora* est, & solutio opinionum, quibus opponit sententiam Cic. Turneb.

5 *Nam sapientem.*] Tuetur suum dogma Fabius auctoritate Stoicorum, qui suum sapientem omnium rerum cognitione instruunt, atque eum verum esse philosophum volunt, ut habeat cognitionem rerum humanarum & divinarum. Idem.

6 *Non quia.*] *Ceratinas* & *Crocodilinas* captiones dixerunt ab exemplis; ut illud de cornibus apud Gellium l. 16.

F cap. 2.

¹ *Crocodilina* possint facere sapientem, sed quia illum ne in minimis quidem oporteat falli. ² Similiter oratorem (qui debet esse sapiens) non *geometres* faciet, aut *Musicus*, quæque his alia jungam, sed hæ quoque artes ut sit consummatus juvabunt. Nisi forte antidotum quidem, atque alia quæ morbis aut vulneribus medentur, ex multis atque interim contrariis quoque inter se effectibus componi videmus, quorum ex diversis fit illa mistura una, quæ nulli earum similis est quibus constat, sed proprias vires ex omnibus sumit: & muta animalia mellis illum inimitabilem humanæ rationi saporem, vario florum ac succorum genere perficiunt: nos mirabimur, si oratio, qua nihil præstantius homini dedit providentia, pluribus artibus eget: quæ etiam cum se non ostendunt in dicendo, nec proferunt, vim tamen occultam suggerunt, & tacite quoque sentiuntur. Fuit aliquis sine his disertus: at ego oratorem volo. Non multum adjiciunt: sed æque non erit totum, cui vel parva deerunt: & optimum quidem hoc esse conveniet: cujus etiam si in arduo spes est, nos tamen præcipiamus omnia, ut saltem plura fiant. Sed cur deficiat animus? ³ Natura enim

cap. 2. & de Crocodilo, quod memorat Chrysippus apud Lucianum *ὁ βίαν πρῶτος. Camerar.*

* *Ceratina*] Stoici negant sapientem falli debere: hoc enim est stulti. itaque eum volunt esse peritum solvendum paralogismorum, quorum solutionem quoque Arist. in Sophisticis Elenchis docet. *Ceratina*, captio est & syllogismus cornutus. nam Stoici ratiocinationes appellabant à materia qua tractabatur. *Crocodilina* autem est problema ambiguum & omnino inexplicabile. ut cum crocodilus pollicitus esset mulieri se filium redditurum si illa verum dixisset, ait, non reddes filium. *Turneb. Ceratina.*] Sic arbitror appellatam à materia ipsa, qua uterentur verborum: sicut est apud Senecam lib. 5. Epistolar. ad Lucilium: *Sederem, in-*

quit, *otiosus & ejusmodi quasiunculas ponens: Quod non perdidisti habes, Cornua non perdidisti, cornua ergo habes.* Cerata autem Græce dici cornua quis nescit. *Ang. Politian. Observat. & emend. c. 54. p. 67.*

¹ *Crocodilina.*] Sophismatis parum explicabilis species est quo Dialectici veteres, potissimumque Stoici uterentur. Quod genus eleganter Quintilianus exquisitas ambiguitates appellat. *Ang. Politian. libro observat. cap. 55. Crocodilina.*] Politian. Observ. cap. 55. pag. 68. Et probat *Crocodoliten*, sicuti & *Ceratinen*, sophismatos esse parum explicabilis speciem, quo Dialectici veteres, potissimumque Stoici uterentur.

² *Similiter oratorem.*] Politianus *Miscell. cap. 54. & 55.*

³ *Natura enim.*] Cicero. 3. de Oratore.

¹ *Turpi-*

enim perfectum oratorem esse non prohibet: ¹ *turpiterque desperatur, quicquid fieri potest.* ² Atque ego vel iudicio ve- 17
 terum poteram esse contentus. ³ Nam quis ignorat mus-
 cenc (ut de hac primum loquar) tantum jam illis antiquis
 temporibus non studii modo, verumetiam venerationis
 habuisse, ⁴ ut iidem *musici*, & vates & sapientes iudicaren-
 tur? mittam alios, *Orpheus & Linus*: quorum utrunque diis
 genitum, alterum vero, quod rudes quoque atque agre-
 sses animos admiratione mulceret, non feras modo, sed
 saxa etiam sylvasque duxisse, posteritatis memoriae tradi-
 tum est. Et ⁵ Timagenes auctor est, omnium in literis stu-
 diorum antiquissimam *musicenc* extitisse: & testimonio
 sunt clarissimi poetæ, apud quos inter regalia convivia lau-
 des heroum ac deorum ad citharam canebantur. Iopas ve-
 ro ille Virg. nonne ⁶ canit:

---- *errantem Lunam, Solisque labores? &c.*

Quibus certe palam confirmat auctor eminentissimus, mu-
 siccnc cum divinarum etiam rerum cognitione esse conjun-
 ctam. Quod si datur, erit etiam oratori necessaria. Siquidem
 (ut diximus) hæc quoque pars quæ ab oratoribus relicta, à
 philoso-

¹ *Turpiterque desperatur, &c.*] Colum-
 mell. lib. xi. Nec Oratoria disciplina
 deseritur, quia perfectus orator nusquam
 repertus est. *Pythæus.*

² Hoc capite de *Musica* tractat Fa-
 bius, quam primum generaliter lau-
 dat, & utilem probat, à veterum opi-
 nione: deinde etiam per relationem
 oratori necessariam ostendit, qui qui-
 dem est ordo naturalis. *Turneb.*

³ *Nam quis ignorat.*] *Musices* nomi-
 ne antiqui omnem disciplinam comple-
 tebantur: & qui musici erant, cum
 suavis illis modis rerum omnium
 peritiam conjungebant: unde Didy-
 mus in Odyss. Homeri *cantorem* accipit
 pro *philosopho*. Idem. *Nam quis, &c.*] *Cic.* 3. de Orator. & *Strabo* 1. de geogra.
 lib. 1. & 10. *Virgil.* eclog. 4. *Horatius*
 in art. Apud *Homer.* *Achilles*, &

Phemius. Odyss. 1. *Æneid.* 1. &
 eclog. 4.

⁴ *Ut iidem musici, &c.*] Antiquitas
 si qui fidibus docti, pari cum philoso-
 phis in honore, habebantur. Videatur
Joh. Meursii Commentar. ad Lyco-
phron. p. 134.

⁵ *Timagens.*] *Suidas Timagenem*
 quendam scribit fuisse historicum &
 rhetorem Milesium. scribit & alium
 Alexandrinum fuisse, qui Romæ tem-
 pore Augusti docuerit. *Turneb.* Et *Tim-*
agenes auctor.] *Jan. Gebhard.* *Crepund.*
 lib. 1. cap. 1. p. 63. magni fecit *Timagi-*
nem Fabius lib. 10. cap. 1.

⁶ *Canit errantem lunam.*] Hoc fecit
Virgil. ad imitationem *Homeri*, apud
 quem in convivio *Alcinoi* inducitur
Phemius musicus eodem modo cantans.
Turneb.

philosophis est occupata, nostri operis fuit: ac sine omnium talium scientia non potest esse perfecta eloquentia. Atque claros nomine sapientiæ viros, nemo dubitaverit studiosos musices fuisse, quum ¹Pythagoras atque eum secuti, acceptam sine dubio antiquitus opinionem, vulgaverint, mundum ipsum ejus ratione esse compositum, ²quam postea sit lyra imitata. Nec illa modo contenti dissimilium concordia, quam vocant *ἀρμονίαν*. sonum quoque his motibus dederunt. ³Nam Plato cum in aliis quibusdam, tum præcipue in Timæo, ne intelligi quidem nisi ab iis, qui hanc quoque partem disciplinæ diligenter perceperint, potest. ⁴Quid de philosophis loquor, quorum fons ipse Socrates jam senex institui lyra non erubescerebat? Duces maximos & fidibus & tibiis cecinisse traditum, & exercitus ⁵Lacedæmoniorum musicis accensos modis. Quid autem aliud in nostris legionibus cornua ac tubæ faciunt? quorum contentus quanto est vehementior, tanto Romana in bellis gloria cæteris præstat. ⁶Non igitur frustra Plato civili viro, quem *πολιτικόν* vocant, necessariam musicen credidit. Et ejus sectæ, quæ aliis severissima, aliis asperrima videtur, principes in hac fuere sententia, ut existimarent sapientum aliquos nonnullam operam his studiis accommodaturos.

Lycur-

¹ *Pythagoras.*] *Pythagoras* res omnes ad numeros & musicam retulit, ac orbem quoque harmonia quadam compositum dixit. quod idem intelligebat etiam de sphaeris cœlestibus, quarum summam acutissimum sonum efficere scripsit, ultimam gravissimum. *Turnebus. Pythagoras.*] Vide *Macrob. lib. 2. somnii Scipionis.*

² *Quam postea sit lyra imitata.*] Circuli septem planetarum *symphoniam* quandam efficiunt, quam postea est imitatus Mercurius in constructione lyre, cui septem chordas dedit: tamen postea chordarum numerus est auctus. *Turneb.*

³ *Nam Plato.*] Plato *Pythagoræ* dis-

ciplina imbutus, pleraque retulit ad numeros & musicam, animamque mundi musica quadam compositam esse dixit. *Turneb.*

⁴ *Quid de Philosophis.*] *Cic. in Catone, Valer. lib. 2. tit. de instit. antiqui. & Gell. lib. 1. cap. 11.*

⁵ *Lacedæmoniorum.*] *Thucydides* libro quinto, ubi describit confictum *Lacedæmoniorum & Argivorum*, ait *Lacedæmonios tibia usos esse in committendis præliis.* *Cretenses* etiam tibiis utebantur, ut meminit *Athenæus. Turnebus.*

⁶ *Non igitur.*] *Plato* lib. 2. de legibus in primis præscribit ut *juvenes musica erudiantur*, quæ animorum motus temperet,

¹ Lycurgus durissimarum Lacedæmoniis legum auctor, musices disciplinam probavit. Atque eam natura ipsa videtur ad tolerandos facilius labores velut muneri nobis dedisse.

² Siquidem & remiges cantus hortatur: nec solum in iis operibus, in quibus plurimum conatus præeunte aliqua jucunda voce conspirat, sed etiam singulorum fatigatio quamlibet se rudi modulatione solatur. Laudem adhuc dicere artis pulcherrimæ videor, nondum tamen eam oratori conjungere. Transeamus igitur id quoque, quod *grammaticæ* quondam ac *musice* junctæ fuerunt. Siquidem Architas atque

³ Aristoxenus etiam subjectam grammaticen *musica* putaverunt, & eosdem utriusque rei præceptores fuisse, cum ⁴ Sophron ostendit mimorum quidem scriptor, sed quem Plato adeo probavit, ut suppositos capiti libros ejus, cum moretur habuisse credatur: tum Eupolis, apud quem Prodamus & *musicen* & *litteras* docet. ⁵ Et Maricas, qui est Hyperbolus, ⁶ nihil se ex musicis scire nisi litteras confitetur.

⁷ Aristophanes quoque non uno libro sic institui pueros antiquitus solitos esse demonstrat. Et apud Menandrum in ⁸ *Hypobolimæo*, senex reposcenti filium patri velut rationem impendiorum quæ in educationem contulerat, opponens,

psaltis

Peret, & ad virtutis studium accendat. Turneb. Non igitur.] Lib. 2. de leg. Stoicos intellige.

1 *Lycurgus.*] Non quamlibet *musicam* Lacedæmoniis permisit Lycurgus, sed duntaxat *severam*: ut melos *castorium*, quo Lacedæmonii utebatur in congressibus prætorum. Turneb.

2 *Siquidem & remiges.*] Nam *celeusima* canebatur remigibus vel per *assam* vocem, id est, humanam, vel per pueros *symphoniacos*. Hoc etiam quidam referunt ad *clasticum*, cujus erat usus in navibus ad remiges adhortandos in *ναυμολογία*. Idem.

3 *Aristoxenus.*] Aristoxenus optimus fuit musicus, & omnia ad musicam reducebat. Idem.

4 *Sophron ostendit mimorum scriptor.*]

Idem poene scribit Diogenes Laërtius lib. 3. p. 107. Casaubon. Valer. Maximus lib. 8. cap. 7.

5 *Et Maricas.*] Hyperbolus pessimus fuit & flagitiosissimus civis, qui ex infimo loco Athenis tandem est summus honores adeptus. ab Eupolide appellatur *Maricas*, tanquam mollis & nihili. Turneb.

6 *Nihil se ex musicis, &c.*] Apud Aristoph. in *Equitib.* ἢ ἡ μουσικῶν ἐπισταμῶν πᾶσι γὰρ μὲν ἔσονται. Et in *Nubibus.* *Pithæus.*

7 *Aristophanes.*] Aristoph. in *Nebul.* In ἰσπεδοί.

8 *Hypobolimæo.*] Ita Menandri comœdia inscribitur ab argumento. nam pater filium qui alteri suppositus fuerat, repetit. Turneb.

psaltis se & geometris multa dicit dedisse. ¹ Unde etiam ille mos, ut in conviviis post cœnam circumferretur lyra: cujus cum se imperitum Themistocles confessus esset, ut verbis ² Ciceronis utar, *habitus est indoctior*. Sed veterum quoque ³ Romanorum epulis fides ac tibia adhibere moris fuit. Versus quoque Saliorum habent carmen. Quæ cum omnia sint à Numa rege instituta, faciunt manifestum, ne illis quidem qui rudes ac bellicosi videntur, curam musices, quantam illa recipiebat ætas defuisse. Denique in proverbium usque Græcorum celebratum est, ⁴ *Indoctos à Musis atque Gratiis abesse*. Verum quid ex ea proprie petat futurus orator, disseramus. ⁵ Numeros *musice* duplices habet, in *vocibus*, & in *corpore*. utriusque enim rei aptus quidam modus desideratur. ⁶ *Vocis rationem* Aristoxenus musicus dividit in *ῥυθμῶν*, ⁷ & *μέλων* ⁸ *ἑμμελῶν*: quorum alterum *modulatione*, alterum *canore* ac sonis constat. Num igitur non hæc omnia oratori necessaria? ⁸ quorum unum ad gestum, alterum ad collocationem verborum, tertium ad flexus vocis, qui sunt in agendo quoque plurimi, pertinet. ⁹ Nisi forte

¹ *Unde etiam.*] Græci summam eruditionem putaverunt sitam in fidium & tiliarum cantibus, unde Simon Atheniensis cum apud quendam libenter decantasset, prælatus est Themistocli. *Turneb.*

² *Ciceronis utar.*] *Tuscul. 1.*

³ *Romanorum.*] Nam veteres Romani, ut scribit Cato in *Originibus*, fortium virorum laudes ad tibia decantabant. *Turneb.*

⁴ *Indoctos à musis, &c.*] Nomine *musices* Græci complectuntur omnem doctrinam, disciplinam, elegantiam: & apud eos dicitur *ἀμεσῶν*, qui inelegans est & indoctus. *Turneb.*

⁵ *Numeros.*] Numerus hîc apta quædam est convenientia & modulata, quæ spectatur in vocis productione & proportionem numerosa, & per participationem in debita corporis conformatione. verbi causa, *si optimo gestu orator*

movebitur, in ejus corpore dicitur esse numerus. Idem.

⁶ *Vocis rationem.*] *Rhythmus*, id est, numerus, in vocis est productione: *Melos*, id est, modulus, in altitudine: *metrum* vero, certa syllabarum longarum & brevium inter se connexio. duas vero has partes inter se conjunxit Fabius, propterea quod *carmina modulis* quibusdam decantantur, & *moduli cum carminibus* junguntur. *Idem.*

⁷ Et *μέλων ἑμμελῶν.*] Alii legunt, *ἑμμέλων*, & *μέτρῶν*. Vide *Gell. lib. 16. cap. 18.* & *Boëtium de Musica lib. 8.*

⁸ *Quorum unam.*] Nempe in corpore numeri. *Alterum.*] *ῥυθμῶν. Tertium.*] *Μέλων. Camerar.*

⁹ *Nisi forte in carminibus.*] In vocum continuatione, inquit Cicero, debet esse collocatio quæ efficiat inoffensum orationis cursum, & aptam vocum juncturam,

forte in carminibus tantum & in canticis exigitur structura quædam & inoffensa copulatio vocum, in agendo supervacua est: aut non compositio & sonus in oratione quoque varie pro rerum modo adhibetur, sicut in musice. Namque & voce & modulatione grandia elate, jucunda dulciter, moderata leniter canit: totaque arte consentit cum eorum quæ dicuntur, affectibus. Atqui in orando quoque intentio vocis, remissio, flexus, pertinet ad movendos audientium affectus: aliaque & collocationis & vocis (ut eodem utar verbo) modulatione concitationem Judicum, alia misericordiam petimus: cum etiam organis, quibus sermo exprimi non potest, affici animos in diversum habitum sentiamus. ¹ Corporis quoque decens & aptus motus, qui dicitur *Εὐρυθμία* est necessarius: nec aliunde peti potest: in quo pars actionis non minima consistit: qua de re sepositus nobis est ² locus. ³ Age si habebit in primis curam vocis orator, quid tam Musices proprium? Sed ne hæc quidem præsumenda pars est: ⁴ ut uno interim contenti simus exemplo C. Gracchi præcipui suorum temporum oratoris, cui concionanti consistens post eum musicus, ⁵ fistula quam ⁶ *τονόειον* vocant, modos quibus deberet intendi, ministrabat. Hæc ei cura inter turbidissimas actiones, vel terrenti optimates, vel jam timent

eturam, debet esse etiam numerus, id est, melodia quædam & suavitas orationis, quibusdam pedibus comprehensa. Turneb.

¹ Corporis quoque.] *Εὐρυθμία* dicitur in corpore, quando apto numero, convenienti gestu & vultu orator decore pronunciat. Fabius tamen in oratione illud quod est *Εὐρυθμῶν* quadantenus culpat. Turneb.

² Locus.] Lib. 11.

³ Age.] Antiqui magno studio vocem exercuerunt, ac publice quoque magistri erant vocis exercendæ, qui appellabantur *phonasci*: quibus plerunque etiam Nero utebatur. Idem.

⁴ Ut uno interim contenti simus exemplo

C. Gracchi, &c. cui concionanti, post eum consistens musicus, fistula quam *tonarion* dicunt, modos, &c.] *Tonarion* fistulæ quoddam genus, quo vocis modos regerant ac temperabant musici. Salmasius 503. Cic. de Orat. & Gell. lib. 1. cap. 11.

⁵ Fistula quam *τονόειον* voc.] Alii *phlogavium* etiam appellant, ut in pneumaticis Hero. Vide Turneb. Adversar. lib. 17. cap. 20. p. 574.

⁶ *Τονόειον*.] *Τονόειον* est fistula quæ tonos quibus uti debemus incinit. Gellius tamen falsum esse putat, quod ajunt Gracchum habuisse fistulatorem cujus modis intenderetur, cum præsertim vehemens ejus ingenium non intentione egeret, sed remissione. Turneb.

timenti fuit. Libet propter quosdam imperitiores, etiam *crasstore*, ut vocant, *musæ*, dubitationem hujus utilitatis eximere. Nam poëtas certe legendos oratori futuro concesserint: num igitur hi sine *musice*? At si quis tam cæcus animi est, ut de aliis dubitet: illos certe, ¹ qui carmina ad lyram composuerunt. Hæc diutius forent dicenda, si hoc studium velut novum præciperem. ² Cum vero antiquitus usque à Chirone atque Achille ad nostra tempora apud omnes, qui modo legitimam disciplinam non sint perosi, duraverit, non est committendum ut illa dubia faciam, defensionis sollicitudine. ³ Quamvis autem satis jam ex ipsis quibus sum modo usus exemplis, credam esse manifestum, quæ mihi, & quatenus *musice* placeat: apertius tamen profitendum puto, non hanc à me præcipi, quæ nunc in scenis effœminata, & impudicis modis fracta, non ex parte minima, si quid in nobis virilis roboris manebat, excidit: ⁴ sed qua laudes fortium canebantur, quaque & ipsi fortes canebant, nec ⁵ *psalteria* & ⁶ *spadicæ*, etiam virginibus probis recusanda: sed cognitionem rationis, quæ ad ⁷ movendos

¹ *Qui carmina ad lyram.*] Boët. de Musica: Tria genera sunt quæ circa Musicam versantur. Unum est, quod instrumentis agitur: aliud fingit carmina: tertium, quod instrumentorum opus carmenque dijudicat. Et infra. Secundum vero Musicam agentium genus poëtarum quod non potius speculatione ac ratione quam naturali quodam instinctu fertur ad carmen. *Pithæus.*

² *Cum vero.*] Chiron Centaurus Achillis fuit nutritius, & eum cum ceteras disciplinas, tum maxime *musicam* docuit. Unde apud Homerum Achilles *citharam pulsat*, & ita animi agritudinem levat. *Turneb.*

³ *Quamvis autem.*] Post assertam musicam, ne auditoris electio fallatur, amphibologiam discutit, & quam potissimum musicam probet, ostendit. quo quidem loco cum Platone ac Cicentit, qui antiquam musicam probant,

novam damnant & vituperant. *Idem.*

⁴ *Sed qua laudes fort. canebantur.*] Jan. Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 3. p. 64. Mss. Palatini ita concinnant hunc complexum orationis genuine: *Sed qua laudes fortium canebantur, quasque & ipsi fortes canebant: nec psalteria ipsa dicæ etiam virginibus probis recusanda.* Sic Achilles apud Statium lib. 1. vers. 184. & seqq.

⁵ *Psalteria.*] *Psalterium* instrumentum est musicum decachordum, quod etiam *nabulum* appellatur & *nablium*. Paulus jurisconsult. hoc instrumentum quoque damnat. *Turneb.*

⁶ *Spadicæ.*] Julius Pollux onomastici lib. 4. *Spadicæ* inter instrumenta quæ pulsantur numerat. Raphaël cum hanc dictionem non intelligeret, substituit *sambucam*, quæ est ipsa quoque instrumentum musicum. *Idem.*

⁷ *Movendos.*] Cœlius lib. 5. c. 23.

x Nam

dos leniendosque affectus plurimum valet. ¹ Nam & Pythagoram accepimus, concitatos ad vim pudicæ domui afferendam juvenes, iussa mutare in *Spondeum* modos tibicina, composuisse: & ² Chrysippus etiam nutricum quæ adhibentur infantibus ³ allectationi, suum quoddam carmen assignat. Est etiam non inerudite ad declamandum ficta materia, in qua ponitur tibicen qui sacrificanti ⁴ *Phrygium* cecinerat, acto illo in insaniam & per præcipitia delato, accusari, quod causa mortis extiterit. quæ si dici debet ab oratore, nec dici citra scientiam musices potest, quomodo non hanc quoque artem necessariam esse operi nostro vel iniqui consentiant? ⁵ In *geometria* partem fatentur esse 18 utilem teneris ætatibus. agitari namque animos, atque acui ingenia, & celeritatem percipiendi venire inde, concedunt: sed prodesse eam non ut cæteras artibus, cum perceptæ sint, sed cum discatur, existimant. Ea vulgaris opinio est. Nec sine causa summi viri etiam impensam huic scientiæ operam dederunt. Nam quum sit ⁶ *geometria* divisa in numeros atque formas: numerorum quidem notitia non oratori modo, sed cuicumque primis saltem literis erudito, necessaria est. ⁷ In causis vero vel frequentissime versari solet:

1 *Nam & Pythagoram.*] Boëtius scribit *Taurominitanum* quendam juvenem concitatum Phrygio cantu, *spondeo* à Pythagora fuisse sedatum. Est enim *spondens* gravis, moderatus, ac modestus. Turneb.

2 *Chrysippus etiam nutricum, &c.*] De nutricum naniis, vide Is. Casaub. ad Theophrast. notationes morum, cap. *ἠὲ λαλιᾶς*.

3 *Allectationi.*] Jan Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 3. p. 63. Forte *ablaectationi*, hoc est, *ἀπορροαλακτισμῶ*. Quod si placuerit, *Allectatio*, erit *ἐπαγωγὴ* & cantandi illecebra, qua soporem alliciunt odis illis lactentibus pueris & in cunis vagientibus.

4 *Phrygium cecinerat.*] *Phrygius* *modus* vehemens appellatur & violentus à

Luciano, hominemque concitat, & in furorem accendit. Unde petitur hæc materia declamationis. De modis Musices vide Athenæum lib. 14. Turneb.

5 Hoc capite quorundam refutat opinionem, qui *Geometriam* oratori necessariam negabant. Porro Fab. *Geometriæ* nomine tres scientias complectitur, *Astrologiam* sive *Sphericam*, *Arithmeticam*, & proprie dictam *Geometriam*, quæ versatur circa formarum delineationes. Turneb.

6 *Geometria divisa in numeros, &c.*] Videtur Turnebus Advers. lib. 26. c. 1. p. 958. Cicer. in præc. Tuscul. *Geometria.*] Arithmetice sub *Geometria* comprehendit, ut paulo post *Astrologiam*.

7 *In causis vero.*] Alludit ad rationem

let: ¹ in quibus actor non dico si circa summas trepidat, sed si ² digitorum saltem incerto aut indecoro gestu à computatione dissentit, judicatur indoctus. ³ Illa vero linearis ratio, & ipsa quidem cadit frequenter in causas. nam de terminis mensurisque sunt lites: sed habet majorem quandam aliam cum arte oratoria cognationem. Jam primum ordo est *geometriae* necessarius: nonne & *eloquentiae*? ⁴ Ex prioribus geometria probat insequentia, & certis incerta: nonne id in dicendo facimus? Quid? illa propositarum quaestionum conclusio, non tota fere constat syllogismis? propter quod plures invenias qui dialecticæ similem, quam qui rhetoricæ fateantur hanc artem. Verum & orator, etiam si raro, non tamen nunquam probabit dialectice. Nam & syllogismis, si res poscet, utetur: & certe *enthymemate*, qui rhetoricus est syllogismus. ⁵ Denique probationum quæ sunt potentissimæ, *γραμμικῆ ἀποδείξει* vulgo dicuntur. Quid autem magis oratio quam probationem petit? Falsa quoque verisimilia, *geometria* ratione deprehendit. Fit hoc & in numeris per quasdam quas ⁶ *ψευδογραφίας* vocant: quibus pueri ludere

supputandi antiquorum, quæ fiebat per articulos digitorum utriusque manus, ita ut sinistra manu supputarent ad nonaginta, dextra supputarent centum & reliquos numeros. Turneb.

¹ *In quibus actor, si digitorum, &c.*] Vide hac de re Ludov. Cresollium vateat. Autumn. lib. 2. p. 354.

² *Digitorum.*] Nam digitorum gestibus numeros representasse veteres constat, & ostenditur in XI. Fabii. *Camervarius*.

³ *Illam vero linearis.*] Jam de *Geometria* peculiariter appellata loquitur, quæ circa formarum descriptiones versatur, cujus pars quædam appellatur *γεωδασία*, quæ docet terrarum mensurationem. Turneb.

⁴ *Ex prioribus.*] *Geometriae* optimo utuntur ordine, nimirum *naturali* & *systematico*. Nam primum axiomata, hypotheseis, & postulata ponunt: ex qui-

bus sequentia probant, quæ demum ut confessa ad aliorum probationem sumuntur. atque ita deinceps. Turneb.

⁵ *Denique probationem.*] *Apodixis* syllogismus est certissimus, qui necessarii constat. Eo plurimum utuntur *geometriae*, adhibitis interim descriptionibus linearum. Hinc factum est, ut probationes omnes certissimæ, appellarentur *ἀποδείξει γραμμικαί*. Turnebus. *Denique.*] Aristotel. in poster. analyticis.

⁶ *Ψευδογραφίας.*] *Ψευδογραφίας*, descriptiones sunt quædam tum in *Geometria* tum in *Arithmetica*, quæ quantum in speciem veræ videntur, falsæ tamen sunt. hinc videtur Aristoteles in elench. sophisticis hausisse syllogismum pseudographum, qui sit ex principiis male intellectis. Turnebus. *Ψευδογραφίας.*] Accipio *Ψευδογραφίας* à Fabio dici

ludere solebamus. Sed alia majora sunt. Nam quis non ita proponenti credat: ¹ Quorum locorum extremæ lineæ eandem mensuram colligunt, eorum spatium quoque quod his lineis continetur, par sit necesse est? At id falsum est. Nam plurimum refert cujus sit formæ ille circuitus: ² reprehensive à geometris sunt historici ³ qui magnitudines insularum satis significari navigationis ambitu crediderunt. Nam ut quæque forma perfectissima, ita capacissima est. Ideoque illa ⁴ *circuncurrens* si efficiet orbem: quæ forma est in planis maxime perfecta, amplius spatium complectetur, quam si quadratum paribus oris efficiat. Rursus *quadrata triangulis*, triangula ipsa plus æquis lateribus quam inæqualibus. Sed alia forsitan obscuriora: nos facillimum etiam imperitis sequamur experimentum. ⁵ Jugeri mensuram, ducentos & quadraginta longitudinis pedes esse, dimidioque in latitudinem patere, non fere quisquam est qui ignoret: & qui sit circuitus, & quantum campi claudat, colligere expeditum. At centeni & octogeni in quamque partem pedes, idem spatium extremitatis, sed multo amplius ⁶ divisæ quatuor lineis areæ faciunt. Id si computare quem piget, brevioribus numeris idem discat. nam deni in quadram pedes, quadraginta per oram, intra centum erunt.

At

dici fallacias in subductionibus rationum. Ex. g. Duodecim diebus singulis vini amphoræ quatuor. quot amphoræ debentur tribus: colliges de regula, unam deberi. *Camerar.*

1 *Quorum locorum.*] In planis geometriæ figuris circulus est perfectissimus & capacissimus, in solidis globus & sphaera. itaque reliquæ figuræ prout magis aut minus ad has formas accedunt; magis aut minus sunt capaces. non igitur solum ad ambitum respicere oportet, sed etiam ad figuræ rationem. *Turneb.*

2 *Reprehensivæ.*] In hoc quoque vitium pluribus locis incidit Plinius. ut lib. 4. cum scribit *Ithacam patere circuitu*

viginti quinque millia passuum: Cephale-niam vero quadraginta quatuor millia. nam magnitudinem ex ambitu colligere non possis, nisi figuram teneas. *Turneb.*

3 *Qui magnitudines insularum.*] Ex Polyb. lib. 9. Thucyd. lib. vi. Proclus comment. in 1. Euclid. Element. lib. 3. comment. 8. & lib. 4. comment. 11. *Pitheus.*

4 *Circuncurrens linea.*] Περὶ Φερῆς.

5 *Jugeri mensuram.*] Jugerum complectitur duos actus quadratos, qui efficiunt ducentos quadraginta pedes longitudinis, centum viginti latitudinis. *Turneb.*

6 *Divisæ.*] Alii leg. *clausæ.*

I Nam

At si quinideni per latera, quini in fronte sint: ex illo quod amplectuntur, quartam deducunt eodem circumductu. Si vero porrecti utrinque undeviceni singulis distent, non plures intus quadratos habebunt, quam per quot longitudo ducetur: quæ circumibit autem linea, ejusdem spatii erit cujus ea quæ centum continet. Ita quicquid formæ quadrati detraxeris, amplitudini quoque peribit. Ergo etiam id fieri potest, ut majore circuitu minor loci amplitudo claudatur. Hoc in planis. ¹ Nam in collibus vallibusque etiam imperito patet ² plus soli esse quam cœli. ³ Quid quod se eadem geometria tollit ad rationem usque mundi? in qua cum siderum certos constitutosque cursus numeris docet, discimus nihil esse inordinatum atque fortuitum: quod ipsum nonnunquam pertinere ad oratorem potest. ⁴ An vero cum Pericles Athenienses *Solus obscuracione* territos, redditis ejus rei causis, metu liberavit: aut cum ⁵ Sulpitius ille Gallus in exercitu L. Pauli de ⁶ *Luna defectione* disseruit, ne velut prodigio divinitus facto militum animi terrentur, non videtur esse usus oratoris officio? Quod si Nicias in Sicilia scisset non eodem confusus metu pulcherrimum Atheniensium ⁷ exercitum perdidisset: sicut Dion, cum ad destruendam Dionysii tyrannidem venit, non est tali casu deter-

¹ *Nam in collib.*] Collis cum sit globatus, tantum duntaxat cœli occupat, quantum complectitur diameter. si autem illa collis superficies globosa & illa rotundatio extenderetur, longe plus occuparet. *Turneb.*

² *Plus soli esse quam cœli.*] Quoniam videtur duntaxat occupare quod est in dimetiente & latitudine rotunda. *Idem.*

³ *Quid quod se.*] *Astrologia* est duplex. nam altera versatur circa astrorum cursus, de qua loquitur Fabius: altera circa judicia quæ ab astris petuntur, quæ quidem legibus est interdicta. *Idem.*

⁴ *An vero.*] Cum Pericles bello Peloponnesiaco solvere è portu Atheniensi pararet, facta est *solis eclipsis*: sed

reddita causa, Athenienses qui hoc in prodigium vertebant, metu liberavit. *Idem. An vero, &c.*] De Pericle Galloque Sulpitio exempla sunt apud Valerium lib. 8. cap. 11. De Nicia, Thucydides lib. 7. *Camerar. An vero.*] Plutarch. in vita Periclis. Plin. lib. 2. c. 12.

⁵ *Sulpitius.*] Pridie quam P. Æmilius cum Perse rege Macedoniae confingeret, facta est *luna eclipsis*. Productus in concionem ab imperatore Sulpitius Gallus, defectus causas aperuit, & milites metu liberavit, postredieque superatus fuit Perse. *Turneb.*

⁶ *Luna defectione.*] Valer. libro 8. cap. 1.

⁷ *Exercitum.*] Thucyd. lib. 7. Plutar. in vita Dionis, & Marcelli.

x *Archi-*

deterritus. Sint exempla licet usus bellici, transeamusque quod Archimedes unus obsidionem Syracusarum in longius traxit: illud utique jam proprium est ad efficiendum quod intendimus, plurimas quæstiones, quarum difficilior alia ratione explicatio est, ut de ratione dividendi, de sectione in infinitum, de celeritate augendi, linearibus illis probationibus solvi solere: ut si est oratori (quod proximus demonstrabit liber) de omnibus rebus dicendum, nullo modo sine *geometria* esse possit orator.

1 *Archimedes unus.*] Archimedes Syracusanus, optimus mathematicus, atque idem mechanicus. hic suis machinis solus exercitui Marcelli restitit, ut scribit Plutarchus & Livius. *Turneb.*

2 *De sectione in infinitum.*] Numerus amplificatione est infinitus, continuum vero divisione. nam quod continuum est, in aliud rursus continuum dividitur, atque ita deinceps in infinitum. *Idem.*

C A P. XI.

De prima pronuntiationis & gestus institutione.

Dandum aliquid comædo quoque, dum catenus, qua pronuntiandi scientiam futurus orator desiderat. Non enim puerum quem in hoc instituimus, aut scemineæ vocis exilitatè frangi volo, aut seniliter tremere. Nec vitia ebrietatis effingat, nec servili vernilitate imbuatur: nec amoris, avaritiæ, metus discat affectum: quæ neque oratori sunt necessaria & mentem præcipue in ætate prima teneram adhuc & rudem inficiunt. Nam frequens imitatio transit in mores. Ne gestus quidem omnis ac motus à comædis petendus est. Quanquam enim utrumque eorum ad

1 *Dandum aliquid Comædo.*] *Comædus* actorem Comædiæ significat. *Comædi* porro peritissimi erant pronuntiationis gestus. itaque ut oratoris gestus & vox ab illis formetur perscribit, ita tamen, ut mediocritatem orator servet, nec more *Comædi* personarum mores & gestus undique effingat. *Turneb.*

2 *Seniliter tremere.*] Hoc dicit pro-

pter *mimos ethologos*, qui personæ quam substinent, mores, verba, gestum imitantur. quod in oratore vitiosum est. *Idem.*

3 *Nec servili vernilitate imb.*] Senec. lib. 2. de Benefic. cap. 11. *Et hæc ipsa non verniliter; nec ea figura, &c.* Lipsius verniliter exponit blande & cum adulatione. quem vide.

1 *Excus-*

ad quendam modum præstare debet orator : plurimum tamen aberit à scenico, nec vultu, nec manu, nec ¹ excursionibus nimius. Nam si qua in his ars est dicentium, ea prima est ne ars esse videatur. Quod est igitur in his doctoris officium? In primis ² vitia si qua sunt oris, emendet: ut expressa sint verba, ut suis quæque literæ sonis enuntientur. Quarundam enim vel ³ exilitate vel pinguetudine nimia laboramus: ⁴ quasdam ⁵ velut acriores parum efficimus, & aliis non dissimilibus, sed quasi hebetioribus permutamus. Quippe ⁶ litteræ, qua Demosthenes quoque laboravit, ⁷ succedit: ⁸ quarum vis est apud nos quoque. ⁹ Et cum ¹⁰ ac similiter ¹¹ non valuerunt, in ¹² g ac ¹³ d molliuntur. Ne illas quidem circa ¹⁴ s literam ¹⁵ delicias hic magister feret: nec verba ¹⁶ in faucibus patietur audiri, nec oris inanitate resonare: nec, quod minime sermoni puro conveniat, simplicem vocis naturam pleniore quodam sono circumlinire, quod Græci ¹⁷ καὶ πεπλωσμένον dicunt. sic appellatur cantus tiliarum, quæ præclusis quibus clarescunt foraminibus, re-

cto

¹ *Excursionibus.*] Per *excursiones* intelligit quasdam procuriones, quas breves & raras debet efficere orator, ut discurre non videatur. permittit quoque Fab. oratori ut aliquando ambulet. *Turneb.*

² *Vitia, si qua sunt oris, emend.*] Qua de re scitu dignissima profert Coel. Rhodigin. *Antiq. Lect.* lib. 13. cap. 1. p. 567. & Cic. lib. 1. de Orat. Dionys. Halicarnass. in arte.

³ *Exilitate.*] Significat ἰχνότητι, quæ vocem exiliter pronunciat: & πλωτισμῶν cum diducto rictu pinguius & vastius enunciamus. *Turneb.*

⁴ *Quasdam velut acriores eff.*] Gebhard. *Crepund.* lib. 2. cap. 3. pag. 64. MS. Palat. *Quasdam velut acriores parum efflamus.* Probo, nisi quis malit, *efflamur.* Pareus.

⁵ *Velut acriores.*] Hoc vitium est τραυλότης. id est, blæsitæ, cum literam aliquam pronunciare non possu-

mus: huc referri debet Alcibiadis *lambdacismus.* *Turneb.*

⁶ *Quarum vis.*] Id dicit propterea quod Latini in quibusdam verbis, *v* mutarunt in *l*, unde *Pellucidus* dicitur pro *Perlucidus*: vel quod etiam nonnulli qui blæsi erant, *v* mutabant in *l*. *Idem.*

⁷ *Et cum C ac similiter T.*] Vel significat quosdam vitiose pronunciare, ut antea quoque: vel etiam innuit literas quasdam nonnunquam emolliri, ut cum dicimus *Cneus*, vel cum Græci τ προ- ciant post *v*, ut *δ*. *Idem.*

⁸ *Delicias.*] Innuit vitium quod appellatur *Polyisma*, cum *s* productiore sibilo enunciat. *Idem.*

⁹ *In faucibus.*] Appellatur hoc vitium *gargarismus* & *laryngismus*, cum vox in ipso gurgulione & gula auditur. καίλοσμιβζ à Fabio dicitur, cum verba ex oris concavitate audiuntur. *Idem.*

¹⁰ *Καὶ πεπλωσμένον.*] Hujusmodi vox efficitur, quando ore pene præcluso

Et modo exitu graviolem spiritum reddunt.¹ Curabit etiam ne extremæ syllabæ intercidant, ut par sibi sermo sit: ² ut quoties exclamandum erit, laterum conatus sit ille, non capitis: ut gestus ad vocem, vultus ad gestum accommodetur. Observandum erit etiam, ³ ut recta sit facies dicentis: ne labra distorqueantur: ne immodicus hiatus rictum distendat: ne supinus vultus, ne dejecti in terram oculi, ne inclinata utrolibet cervix. Nam frons pluribus generibus peccat. ⁴ Vidi multos quorum supercilia ad singulos vocis conatus allevarentur, aliorum constricta: aliorum etiam diffidentia, cum altero in verticem tenderent, altero pene oculus ipse premeretur. Infinitum autem, ut mox dicemus, in his quoque rebus momentum est. ⁵ *Et nihil potest placere, quod non decet.* ⁶ Debet etiam docere comædus quomodo narrandum, qua sit auctoritate suadendum: qua concitatione consurgat ira, qui flexus deceat miserationem. Quod ita optime faciet, si certos ex comædiis elegerit locos, & ad hoc maxime idoneos, id est actionibus similes. Iidem autem non ad pronuntiandum, modo utilissimi, verum ad augendam quoque eloquentiam maxime accommodati erunt. Et hæc, dum infirma ætas

majora

præcluso gravis & fusca vox erumpit, ut fieri solet in tibiis præclusis foraminibus. *Idem.*

¹ *Curabit etiam.*] Reprehendit eos qui appellantur *colobota*, id est, decurtatores, qui extremas dictionum syllabas non patiuntur audiri, sed eas devorant & deglutunt. *Idem.*

² *Ut quoties, &c.*] Posteaquam de voce tractavit, alteram pronuntiationis partem, quæ posita est in gestu & motu, persequitur sigillatim per omnes corporis partes. qua de re plura scripta sunt lib. II. *Idem.*

³ *Ut recta sit facies dicentis, &c.*] Vide Lud. Cresollii Vacat. Autumn. lib. 2. sect. 3. pag. 3. & seqq.

⁴ *Vidi multos quorum supercilia.*] Vide Lud. Cresollii Vacat. Autumn. lib. 2.

sect. 3. & 4. pag. 191. &c. & Joh. Savaronis Comment. ad Sidon. Apoll. lib. 9. Epist. 9. p. 558. Salmastii in Tertull. lib. de Pallio pag. 305. & 335.

⁵ *Et nihil potest placere, quod non decet.*] Lib. II. cap. de pronuntiatione.

⁶ *Debet etiam.*] Nunc quoque docet Fab. quomodo pronuntiatio debeat aptari singulis orationis partibus, & qua vocis inclinatione sit concitandus affectus aut sedandus. *Turneb. Debet etiam docere Comædus.*] Apud veteres nobilium pueri statim ad Comædum accedebant maturi consilii virum & in agendo exercitatum; à quo in infantia primis annis pronuntiandi rationem capiebant. Cresollius Vacat. Autumn. Prælus.

I Ediscere

majora non capiet. Cæterum cum legere orationes oportebit, cum virtutes earum jam sentiet, tum mihi diligens aliquis ac peritus assistat: neque solum lectione formet, verumetiam ¹ ediscere electa ex his cogat, & ea dicere stantem clare, & quemadmodum agere oportebit: ut protinus ² pronuntiatione vocem & memoriam exerceat. ³ Ne illos quidem reprehendendos putem, qui paulum etiam ⁴ *palæstricis* vacaverint. Non de his loquor, quibus pars vitæ ⁵ in oleo, pars in ⁶ vino confumitur, qui corporis cura mentem obruerunt (hos enim abesse ab eo quem instituimus, quam longissime velim) sed nomen est idem iis à quibus gestus motusque formantur. ⁷ ut recta sint brachia, ⁸ ne indoctæ rusticæve manus, ne status indecorus, ⁹ ne qua in proferendis pedibus inscitia, ne caput oculique ab alia corporis inclinatione diffideant. Nam nec hoc esse in parte pronuntiationis negaverit quisquam, nec ipsam pronuntiationem ab oratore fecernet. Et certe quod facere oporteat, non indignandum est discere, cum præsertim hæc ¹⁰ *chironomia*, quæ est (ut nomine ipso declaratur) *lex gestus*, & ab

¹ *Ediscere electa.*] Fab. quoque lib. 2. cap. de ediscendo, præcipit ut pueri electos ex oratoribus & historicis locos ediscant, tum ad vocis formationem, tum ad memoriæ confirmationem. Turneb.

² *Pronuntiatione.*] Pronuntiationem.

³ *Ne illos quidem reprehend.*] Vide Fabium lib. 9. *Quos palæstritas esse volumus, peritos tamen palæstræ esse volumus, non ἀπαλειπῆς.* Vide Lud. Cresollium Prælus. Vacat. Autumn.

⁴ *Palæstricis.*] *Palæstra* nonnunquam Latinis significat artem corpus exercendi, & luctandi, nonnunquam etiam significat eam artem quæ corporis gestum conformat, quam qui docent, appellantur *palæstrici*. hujus artis imperiti appellantur *apalæstri*. Turneb.

⁵ *In oleo.*] Alludit ad athletas, qui antequam luctarentur, *ceromate*, id est, oleo ungebantur, ac mox pulvere con-

spergebantur. *Idem.*

⁶ *Vino.*] Significat *vicium athleticum*, nam athletæ cogebantur se saginare, ut major esset corporis moles. utebantur *coliphio*. *Idem.*

⁷ *Ut recta sint brachia, &c.*] Vide Lud. Cresollium Vacat. Autumn. lib. 2. cap. 1. pag. 365. & seqq.

⁸ *Ne indoctæ rusticæve manus.*] Jan. Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 3. MS. vetustiss. *Ut recta sint brachia, ne inductæ rusticæve manus.*

⁹ *Ne qua in proferendis pedibus.*] Vide infra lib. 2. cap. 3. Ludovic. Cresoll. Vacat. Autumn. lib. 2. cap. 12. sect. 6. p. 391.

¹⁰ *Chironomia.*] *Chironomia*, gestus est saltationis gestulatricis. est etiam *lex gestus* & motus, quæ nomen sortitur à *manuum lege*, propterea quod illic maxima pars gestus est posita. *Turnebus.*

I *Asum-*

& ab illis temporibus heroicis orta sit, & ¹ à summis Græciæ ² viris, & ab ipso etiam ³ Socrate probata, ⁴ à Platone quoque in parte civilium posita virtutum, & à Chrysippo in præceptis de liberorum educatione compositis non omissa. Nam Lacedæmonios quidem etiam ⁵ saltationem quandam, tanquam ad bella quoque utilem, habuisse inter exercitationes accepimus. Neque id ⁶ veteribus Romanis dedecori fuit: argumentum est, sacerdotum nomine ac religione durans ad hoc tempus saltatio: & illa in tertio Ciceronis de oratore libro verba Crassi, quibus præcepit ut orator utatur laterum ⁷ inclinatione forti ac virili, non à scena & histrionibus, sed ab armis, aut etiam à palæstra: cujus etiam disciplinæ usus in nostram usque ætatem sine reprehensione descendit. A me tamen nec ultra pueriles annos retinebitur, nec in his ipsis diu. Neque enim gestum oratoris componi ad similitudinem saltationis volo, sed subesse aliquid ex hac exercitatione puerili, ⁸ unde nos non id agentes furtim decor ille discantibus traditus prosequatur.

CAP.

1 *A summis.*] Nam Epaminondas, optime saltavit, ut refert Æmilianus Probus. Turn.

2 *Viris.*] Odys. 3. & 8. Iliad. 17.

3 *Socrate.*] Socrates in Symposio Xenophontis etiam fatetur se domi saltasse. Turneb. *Socrate.*] Lib. 3. de Rep. & de legib. 7.

4 *A Platone.*] Plato in lib. de Rep. & de legibus, multa de exercitatione corporis & saltatione scribit, & hac ut pueri instituantur præscribit. Turneb.

5 *Saltationem quandam.*] Vel intelligit Pyrrhichen, quæ saltatio erat armata & bellica: vel dipodiam, quæ (ut scribit Pollux) erat saltatio Laconica,

siebatque apto pedum motu & gestu. Idem. *Saltationem quandam, tanquam.*] Vide Coel. Rhodigin. lib. 5. cap. 4. p. 201. & seqq. Joh. Meurs. Comment. in Lycophron. p. 159.

6 *Veteribus Romanis.*] Nam tempore Ciceronis & Fabii probrosum erat saltare. Turneb.

7 *Inclinatione.*] Inflexione, habet Cicero.

8 *Unde nos non id agentes.*] Locus ex illo Tibulliano planissime adumbratus lib. 4. Carm. 2. v. 18.

Illam, quicquid agit, quoquo vestigia flectit,

Componit furtim subsiquiturque decor.

Fabius

C A P. XII.

An plura eodem tempore doceri prima ætas possit.

Quari solet, an etiam si discenda sint hæc, eodem tempore tamen tradi omnia & percipi possint. Negant enim quidam quia confundatur animus ac fatigetur tot disciplinis in diversum tendentibus, ad quas nec mens, nec corpus, nec dies ipse sufficiat: ¹ & si maxime patiatur hæc ætas robustior, tamen pueriles annos onerari non oporteat. ² Sed non satis perspiciunt quantum natura humani ingenii valeat: ³ quæ ita est agilis & velox, sic in omnem partem, ut ita dixerim, spectat, ut ne possit quidem aliquid agere tantum unum: in plura vero, non eodem die modo, sed eodem temporis momento vim suam ⁴ impendat. ⁵ An vero citharædi non simul & memoriæ, & sono vocis & pluribus flexibus serviunt, cum interim alios nervos dextra ⁶ percutiunt, alios læva trahunt, continent, probant, ⁷ ne pes quidem ociosus, certam legem temporum servat, & hæc pariter omnia? Quid? nos agendi subita necessitate deprehensi, nonne alia dicimus, alia providemus, cum pariter inventio rerum, electio verborum, compositio gestus, pronuntiatio, vultus, motusque desiderentur? ⁸ Quæ si velut

Fabius optimo ordine & naturali, postea quam questionem, an sit, simpliciter tractavit, tractat nunc eam ex relatione. Ac primum more suo aliorum contradictiones ponit, quas deinde multis rationibus, similitudinibus, exemplis confutat: ac demum colligit, etiam uno tempore multa esse discenda. Turneb.

¹ *Et si maxime.*] Confirmatio est rationis à comparatione. *Idem.*

² *Sed non satis.*] *Avliæstretoris* est, id est, contraria propositio: ac primum illam partem solvit, quæ objiciebat mentem humanam non sufficere tot disciplinis discendis. *Idem.*

³ *Quæ ita est agilis.*] *Epicherema* ab

adjunctis. *Idem.*

⁴ *Impendat.*] *Alii: intendat.*

⁵ *An vero.*] *Citharædi* sunt, qui & citharam pulsant & accinunt: *citharistæ* autem, qui duntaxat pulsant, non etiam accinunt. solent autem *dextra* plectrum tenere, & eo nervos percutere, quod appellant *foris canere*: *sinistra* autem chordas carpere, quod vocant *intus canere*. Turneb.

⁶ *Percutiunt.*] *Alii leg. percurreunt.*

⁷ *Ne pes quidem ociosus.*] De pedum ictu & percussione apud veteres in pronuntiandis versibus, vide Lud. Cresolium Vacat. Autumn. lib. 2. cap. 12. sect. 5. pag. 388. &c.

⁸ *Quæ se velut sub uno conatu, &c.*] Vide

si velut sub uno conatu tam diversa parent simul; cur non pluribus horis diversa partiamur, cum præsertim reficiat animos ac reparat ¹ varietas ipsa, contraque sit aliquanto difficilius in labore uno perseverare? ideoque & stylus lectione requiescit, & ipsius lectionis tædium vicibus levatur. Quamlibet multa egerimus, quodam tamen modo recentes sumus ad id quod incipimus. Quis non obtundi possit, si per totum diem cujuscunque artis unum magistrum ferat? Mutatione recreabitur. ² sicut in cibis, quorum diversitate reficitur stomachus, & pluribus minore fastidio alitur. Aut dicant isti mihi, quæ sit alia ratio discendi? ³ Si *grammatico* soli deserviamus, deinde *geometrae* tantum? omittamus interim quod didicimus, mox transeamus ad *musicum*, excidant priora? & quum *Latinis* studebimus literis, non respiciamus ad *Græcas*? & ut semel finiam, nihil faciamus nisi novissimum? ⁴ Cur non idem suademus agricolis, ne arva simul & vineta, & oleas, & arbutum colant? ne pratis & pecoribus, & hortis, & alvearibus accommodent curam? Cur ipsi aliquid forensibus negotiis, aliquid desiderii amicorum, aliquid rationibus domesticis, aliquid curæ corporis, non nihil voluptatibus quotidie damus? quarum nos una res quælibet nihil intermittentes fatiget. Adeo facilius est multa facere, quam diu. ⁵ Illud quidem minime verendum est, ne laborem studiorum pueri difficilius tolerant. neque enim ulla ætas minus fatigatur. Mirum sit forsitan, sed experimentisprehendas. Nam & ⁶ dociliora sunt ingenia priusquam obduruerunt. Id vel hoc argumento patet, quod intra bien-

nium

Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. c. 7. p. 19. & lib. 2. cap. 4. p. 66.

¹ *Varietas.*] Varietas suavissima.

² *Sicut in cibis.*] Parabolam addit ad probationem loci. *Turneb.*

³ *Si Grammatico.*] Argumentatur per hypothesin, & colligit incommodum. *Idem.*

⁴ *Cur non.*] Tres agriculturæ partes

simul est complexus, eam quæ circa terram versatur, *pecuaria*, & *pastiones villicas.* *Idem.*

⁵ *Illud quidem minime verendum est.*] Aliam refutationis partem aggreditur, quæ dixerat, corpus puerorum & mentem laborem pati non posse. *Idem.*

⁶ *Dociliora sunt ingenia, &c.*] Vide Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 4. p. 66.

G 2

1 A4

nium quam verba recta formare potuerunt, quanvis nullo instante, omnia fere loquuntur: ¹ at novitiis nostris, per quot annos sermo Latinus repugnat? Magis scias, si quem jam robustum instituere literis cœperis, non sine causa ² dici *παιδευθεῖς* eos, qui in sua quidque arte optime faciant. Et patientior est laboris natura pueris quam juvenibus. Videlicet ut corpora infantium nec casus quo in terram toties deferuntur, tam graviter affligit: nec ³ illa per manus & genua reptatio, nec post breve tempus continui lusus, & totius diei discursus, quia pondus illis abest, nec se ipsi gravant: sic animi quoque credo, quia minore conatu moventur, nec suo nisu studiis insistant, sed formandos se tantummodo præstant, non similiter fatigantur. Præterea secundum aliam ætatis illius facilitatem, velut simplicius docenteis sequuntur, nec quæ jam egerint, metiuntur. Abest illis etiam adhuc laboris iudicium. Porro, ut frequenter experti sumus, minus afficit sensus fatigatio, quam cogitatio. ⁴ Sed ne temporis quidem unquam plus erit: quia his ætatibus omnis in audiendo profectus est. Cum ad stylum sedet, cum generabit ipse aliquid atque componet, tum inchoare hæc studia vel non vacabit, vel non libebit. ⁵ Ergo cum grammaticus totum diem occupare non possit, nec debeat ne discantis animum tædio avertat: ⁶ quibus potius studiis

¹ *At novitiis.*] Novitii servi sunt recter empti, qui veteratoribus opponuntur. hi enim diutius servierunt, & sæpius divenditi sunt. Turneb.

² *Dici Παιδευθεῖς.*] Vide Horat. lib. 1. Sat. 10. v. 21. in seros studiorum Turneb. Adversar. lib. 14. cap. 19. p. 510. Agellius lib. 11. cap. 8. Torrentius *seros studiorum* vocari malit, qui tardi in studiis sunt, qui nullos adhuc progressus fecerunt. *Παιδευθεῖς.*] Proverbio græco probat, facilius artes discere pueros. qui enim in arte aliqua sunt consummati, *παιδευθεῖς* appellantur, quasi artem à pueritia didicerint, è diverso Græci appellant *ὀψιμαθεῖς*,

eos qui sero didicerunt, qui plerunque sunt imperiti & rudes, nec temere ad artis perfectionem perveniunt. Turneb.

³ *Illam per manus & genua reptatio.*] Vide Barthii Adversar. lib. 19. cap. 7. p. 767. Papin Statti Sytv lib. 5. Epi. cedio in Filium vers. 81. & seqq.

⁴ *Sed ne temporis.*] Ex abundanti præter dissolutas objectiones, etiam hoc tempus esse idoneum disciplinis discendis ostendit. Turneb.

⁵ *Ergo cum Grammaticus.*] Complexio. Idem.

⁶ *Quibus potius studiis hæc temporum, &c.*] Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 4. p. 67. Et pro *subsedia* lege *subcidia* vel *succidia*.

studiis ² hæc temporum velut subsidia ³ donabimus? ³ Nam nec ego consumi studentem in his artibus volo: nec ut moleatur, aut musicis modis cantica excipiat, nec utique ad minutissima geometriæ opera descendat. Non comœdum in pronuntiando, nec saltatorem in gestu facio: quæ si omnia exigerem, suppeditabat tamen tempus. Longa est enim quæ discit ætas, & ego non de tardis ingeniis loquor. Denique cur in his omnibus, quæ discenda oratori futuro puto, eminuit ⁴ Plato? qui non contentus disciplinis quas præstare poterant Athenæ, non ⁵ Pythagoreorum, ad quos in Italiam navigaverat: Ægypti quoque sacerdotes adiit, atque eorum arcana perdidicit. *Difficultatis patrocinia præteximus segnitia.* Neque enim nobis operis amor est: nec quia sit honesta, atque pulcherrima rerum eloquentia, petitur ipsa, ⁶ sed ad vilem usum & fordidum lucrum accingimur. Dicant sine his in foro multi, & acquirant, dum sit locupletior aliquis fordidæ mercis negotiator, & plus

voci

succidia. Ita vocat eleganter succisivum illud tempus quod à melioribus occupationibus superest, & vice lucri quasi succisum. Isidorus lib. 15. cap. 13.

1 *Hæc temporum subsidia.*] Apage *succidias* Gebhardi. Si quid corrigendum, *subseciva* scribendum foret. non *succisiva*, *subcisiva*, *succesiva*. Sed si scripti firmant, quod editum video, nihil mutari velim. Videtur enim petisse sermonem ab exercitu præliante, quem solebant antiqui dividere in *aciem*, vel *frontem*, vel *prima signa* & *subsidia*: quæ etiam *principia* & *post principia* dicebantur. Vide 4. Observ. 10. & pag. 429. Ex quibus priores statim miscebant manus, posteriores quieti reservabantur ad alterum casum, si isti pellere hostem non potuissent. Horum memor auctor considerat ordinaria studiorum tempora & justas præsentibus horas, quasi quædam *principia* huius militiæ puerorum; quæ supersunt (totum enim diem occupare, sub quo nunc exercitus, Grammaticum non vult) quasi *subsidia*. Quod

quam suave atque elegans mihi ad aures accidat, sentire magis quam explicare possum. Gronovius.

2 *Donabimus.*] Donare Fabio nostro significat *ἐπιμετεροσσεῖν*. cumuli loco insuper dare.

3 *Nam nec ego consumi studentem.*] Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 3. p. 65. ex MS. Palat. leg. *Nam nec ego comminua studentem, &c. aut mus. notis cantica expediat, &c.*

4 *Plato?*] Plato. Cic. 4. Tusc. & 5. Finium.

5 *Pythagoreorum.*] Plato cum audisset Socratem, post ejus mortem se contulit in Italiam ad Archytam & ceteros Pythagoreos: mox in Ægyptum navigavit, & ab Ægyptiorum prophetis *astrologiam* & *artem numerandi* & *scientiam theologicam* didicit. Turneb.

6 *Sed ad vilem usum.*] Invehitur in quosdam qui eloquentiam vanalem faciebant, & quæstus amore absolutam illam eloquentiam contemnebant. Turnebus.

voci suæ debeat præco: ne velim quidem lectorem dari mihi, quid studia referant computaturum. Qui vero imaginem ipsam eloquentiæ divina quadam mente conceperit, quique illam (ut ait non ignobilis ¹ tragicus) ² reginam rerum orationem ponet ante oculos, fructumque non ex stipe advocationum, sed ex animo suo, & contemplatione ac scientia petet, perpetuum illum, nec fortunæ subjectum, facile persuadebit sibi, ut ³ tempora quæ spectaculis, ⁴ campo, tesseriis, ociosis denique sermonibus, ne dicam somno, & conviviorum mora conterunt, geometræ potius ac musico impendat, quanto plus delectationis habiturus, quam ex illis ineruditis voluptatibus? Dedit enim hoc providentia hominibus munus, ut honesta magis juvarent. Sed nos hæc ipsa dulcedo longius duxit. ⁵ Hactenus ergo de studiis, quibus antequam majora capiat, puer instituendus est: proximus liber velut novum sumet exordium, & ad rhetoris officia transibit.

¹ *Tragicus.*] Euripides in Hecuba, unde & Pacuvius apud No. Marcel. transtulit. vide Cicero 2. de Orat. circa medium.

² *Reginam verum.*] Hæc sententia ducta est ex Hecuba Euripidis. illic enim ait, Pitho, id est, flexanimam habere inter homines tyrannidem. Turneb.

³ *Tempora quæ spectaculis, campo, &c.*] Vide Fabium lib. 10. cap. 11. & lib. 12.

cap. 11. lib. 2. c. 12. Tum & Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 9. pag. 26. Fr. Jureti notas ad Symmach. lib. 2. Epist. 32. p. 71. & Gasp. Gevartii ad Papin. Stat. lib. 3. Sylv. 5. vers. 60. p. 388.

⁴ *Campo.*] Martio. nam illic exercabantur juvenes Romani. Turneb.

⁵ *Hactenus.*] Epilogus est cum transitu. Idem.